

CONSTITVTIONES SYNODALES

EDITÆ, ET PROMVLGATÆ

AB ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. D.

DOMINO

ASCANIO PAGANELLO

EPISCOPO MONTISALTI

In ſua prima Synodo habita in noua Cathedrali Eccleſia

Diebus 6, 7, & 8 Septembris 1676





MACERATÆ,

Ex Typographia Iacobi Philippi Pannelli. 1676.

DD. Superiorum Permiſſu.

ASCANIVS PAGANELLVS
Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Montiſalti
VNIVERSO CLERO EIVSDEM CIVITATIS, ET DIOECESIS
SALVTEM.



Vemadmodum ædes molientes, à fundamentis ordiuntur, ita Nos qui explendæ Apoſtolicæ Prouinciæ in mores Eccleſiæ, Diuina nobis miſeratione concreditæ, ædificandos incumbimus, à legibus velut à baſi ſumendum initium ducimus: Etenim Religioſisſimi Antiſtitis Prædeceſſoris noſtri, cùm in moderandæ Diœceſi tùm in Synodalibus Conſtitutionibus Sanciendis, quas anno M. DC. LXVIII. coactæ Synodo propoſuerat, nulla quamuis deſideranda fuerit diligentia, tamen cùm ille viuere deſinens Decreta Typis inedita vobis exhibere non valuerit, id à noſtro Paſtorali munere depoſci videbamur, vt Sacroſancti Tridentini Concilij mandatis ſeruandis, leges aliquæ, Diæceſana indicta Synodo promulgarentur: quod quidem ſolemni ritu præſtitimus, nonnullis repetitis, quæ noſter Anteceſſor adornauerat, pluribus verò additis, quæ temporum locorumque varietas efflagitabant, quæque, vt humana imbecilitas exigit, reſtauranda putauimus. Nunc

autem superest, vt Prælo nostræ Constitutiones commendentur, quò præsentiora vobis sint, quæ parauimus remedia, quò memoriæ vitiò Succurratur, quò hæc omnia vulgentur facilius, & sub manifesta lege peccantes minus excusentur. Has igitur Vos Sacerdotali dignitate præfulgentes, Vos Populorum Cultores libenter excipite, vt Ager Dominicus, quem studiosè colendum suscepimus, vepribus vndequaque purgatus fertiliori fænore sobolescat; iis nempe ab Ecclesia eradicandis, quæ dicitur lilium inter Spinas, propositæ leges [a] *MVNDATORIÆ vobis erunt INSTRVMENTA. Hæc quidem non solum oculis in Vos, sed etiam voce in alios traducite; Nostis verò Sermonem viuum, & efficacem esse operis exemplum, quare cæteri exemplo doceantur vestro, filius enim Teste Augustino operatur, quæ viderit Patrem facientem. Itaque moribus compositis, vitijs eliminatis, virtutibus receptis verè Ciuitas Dei nostra hæc erit Ecclesia, & nobis à Domino, cum aduenerit, villicationis nostræ copiosa merces rependetur. Interea nos vt omnia vobis ex voto Succedant, neuè semen hoc secus viam, aut supra petram, aut inter Spinas, sed in terram bonam animarum vestrarum decidat, Deum Optimum Maximum Suppliciter deprecamur.*

a August. Serm. 22. de Verb. Apost.

IN NOMINE SANCTISSIMÆ TRINITATIS PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI AMEN.

DECRETA

SYNODALIA

PRO CIVITATE, ET DIOECESI MONTISALTI.

SESSIO PRIMA

De Fide Catholica

TITVLVS I.

1 HRISTIANÆ Religionis ædificium habet pro fundamento Fidem, à qua bonis præsertim operibus coniuncta, tam prosperè inchoatur, & perficitur, vt ad ipsius vsque Cœli sublimitatem felicissimè consurgat. Propterea Nos operæ pretium duximus constitutiones hasce Synodales à Fide auspicari: nam sicut sine ipsa, vt ait Apostolus, placere Deo nemo vnquam potest; ita si ea fuerimus instructi, adeo propitium Nobis Deum fore confidimus, vt vniuersum hoc opus ad felicem Sanctumque exitum perducere valeamus. Inhærentes igitur Sacri Concilij Tridentini Constitutionibus, volumus, ac mandamus, vt omnes ij, qui huic Nostræ Synodo interesse

tenentur, & re ipſa interfuerint, publicam in ea fidei profeſſionem emittant, ſeruata forma, quæ à Pio Papa Quarto in ſua Conſtitutione pręſcribitur. Ego .N. firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Rom. Eccleſia vtitur, videlicet. Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem Cœli, & terrę, viſibilium omnium, & inuiſibilium, & in vnum Dominum Ieſum Chriſtum, filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſecula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, Genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt, qui propter nos homines, & propter noſtram Salutem deſcendit de Cælis; & Incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & Homo factus eſt; Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt, & reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas, & aſcendit in Cœlum, ſedet ad dexteram Patris, & iterum venturus eſt cum gloria, iudicare viuos, & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, filioque procedit, qui cum Patre, & filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas, & vnam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor vnum baptiſma in remiſſionem peccatorum, & expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſęculi. Amen.

Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque, eiuſdem, Eccleſiæ obſeruationes, conſtitutiones firmiſſimè admitto, & amplector. Item Sacram Scripturam iuxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta mater Eccleſia, cuius

eſt

eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum Scripturarum, admitto, nec eam vnquam, niſi iuxta vnanimem conſenſum Patrum, accipiam, & interpretabor.

Profiteor quoque ſeptem eſſe verè, & propriè Sacramenta nouę legis à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licèt non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium; illaque gratiam conferre; & ex his Baptiſmum Confirmationem, & ordinem, ſine Sacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus, in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto. Omnia, & ſingula, quę de peccato originali, & de iuſtificatione, in Sacroſancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio.

Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium, pro viuis, & Defunctis, atque in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè, realiter, & ſubſtantialiter Corpus, & Sanguinem, vnà cum anima, & diuinitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, fierique conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem, quam conuerſionem Catholica Eccleſia Tranſubſtantiationem appellat. Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie totum, atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum Sumi. Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, Animaſque ibi detentas fidelium ſuffragijs iuuari. Similiter & Sanctos vnà cum Chriſto regnantes venerandos, atque inuocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis

bis offerre: atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissimè assero imagines Christi, ac Deiparę semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque vsum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem, & magistram agnosco, Romanoque Pontifici B. Petri Apostolorum Principis successori, ac Iesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac iuro. Cætera item omnia à sacris Canonibus, & œcumenicis Concilijs, ac pręcipue à Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atqe profiteor; simulque contraria omnia, atque hęreses quascunque ab Ecclesia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo saluus esse potest, quam in præsenti spontè profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inuiolatam vsque ad extremum vitæ Spiritum, constantissime (Deo adiuuante) retinere, & confiteri, atque à meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari quantum in me erit, curaturum. Ego idem .N. spondeo, voueo, ac iuro. Sic me Deus adiuuet, & hęc Sancta Dei Euangelia

Insuper volumus vt, Cancellarius Episcopalis habeat librum in Cancellaria asseruandum, in quo nomina illorum, qui fidei professionem emittent, vnà cum causa, loco, die, & anno adnotabuntur: cui professioni & ille, qui profitebi-

tur,

tur, & duo saltem Testes ad perpetuam rei memoriam propria manu subscribent.

2 Fidei solidum debet integrum retineri, nec in aliquo, spretis Apostolicis regulis, vacillare: & ideo monemus omnes Curam animarum habentes, vt in fidei puritate seruanda totum conatum adhibeant. Insuper sedulò videant, & obseruent, num aliqui Conuentus fiant, aut aliqui de fide sermones habeantur ab hominibus pręsertim rudibus, & procacibus; & si fortè (quod absit) aliquem esse compererint, qui sit hęreticus, vel de hęresi suspectus, qui dederit operam incantationibus superstitionibus, Sortilegijs, & maleficijs, vel blasphemias hæreticales protulerit, infra duodecim dies ab habita notitia numerandos, quorum primi quatuor pro primo, quatuor alij subsequentes pro secundo, & reliqui quatuor pro tertio, & vltimo peremptorio termino assignantur, deferant ad Nos, seu nostrum Vicarium Generalem, aut ad officium Sanctissimę Inquisitionis sub poena Excommunicationis; vt qui hæreticæ prauitatis sunt rei, Nobis aut Inquisitoribus innotescant, & iuxta sacros Canones puniantur.

3 Sed, si ij, qui denunciare tenentur reos hæreticæ prauitati obnoxios, legitimè præpediti, venire non possint, transmittant nobis, aut Sanctissimæ Inquisitionis officio à se subscriptam, & clausam Epistolam, singula continentem, ad quæ deferenda ipsi accedere tenerentur; & pro certo habeant, se nunquam fore promulgandos, seu in aliorum notitiam deducendos.

4 Laici, qui propter imperitiam litterarum quò plura loquuntur, eò pluribus implicantur erroribus, nè præ-

ſumant circa myſteria fidei Catholicæ inſtituere quæſtionem; & erubeſcant tam in publicis, quàm in priuatis Conuentibus illam, quam non habent oſtentare doctrinam. Qui ſecus fecerint, lapſum timeant in baratrum ſcandalorum.

5 Maximum ſcelus eſt ſacram Scripturam, quę Spiritu Sancto dictante prodiuit, ad iocoſa, ſeu ſcurrilia detorquere: propterea nemo audeat Sacrarum litterarum ſententias recitare vel ad mouendum riſum, vel ad famam alterius detrahendam. Qui parere contempſerint, & Scripturarum auctoritatem adduxerint in contemptum, ſciant ſe diuinę indignationis gladium incurſuros.

6 Libri, qui Teſtamenti tam noui, quàm veteris inſcribuntur, ſi temporis diuturnitate corroſi priſtinam venuſtatem amiſerint, non diſtrahantur, nec relinquantur arbitrio laicorum: Sed potius ignibus traditi, à vulgaribus, ſordidiſque vſibus auertantur.

7 Clerici, qui ad Canonicatus, ſeu dignitates in Cathedrali, aut ad Beneficia curam animarum habentia promouentur, Coram nobis, ſeu Noſtro Vicario Generali eandem fidei profeſſionem faciant. Idem ſeruetur à Ludi magiſtris, qui vel publice, vel priuatim pueros in humanioribus litteris inſtruunt: Qui ſi parere contempſerint, & moniti duriores extiterint, docendi facultate priuentur. Mandamus præterea ſupradictis omnibus, qui fidei profeſſionem facere tenentur, vt ſi nondum eam fecerint, dum adhuc hæc Noſtra Synodus celebratur, omnino emittere teneantur. Id ſi exequi prętermiſerint, qui beneficia obtinent, fructus non faciant ſuos: cui poenæ ſubiicien-

cientur etiam illi beneficiarij, qui in posterum infra duos menses ab adeptæ possessionis die hoc non præstiterint. Volumus autem, vt ijdem fructus ipso iure absque alia declaratione applicati remaneant Ecclesiæ, cuius seruitio ipsi beneficiarij sunt adscripti. Qui verò beneficia non habent, & fidem tamen, vti iam diximus profiteri tenentur, si inobedientes extiterint, nostro arbitrio punientur.

De Doctrina Christiana.

Titulus II.

1 EA est hominum procliuitas ad vitia, vt nisi ab ipso ætatis initio bonis, sanctisque moribus informentur, ad omne flagitiorum genus facillimè corruant. Spectare igitur ad Nostrum Pastorale munus existimauimus quàm diligentissimè curare, vt Pueri à primis annis rectè instituantur, venerationem erga Deum, & obedientiam erga superiores, & Parentes obseruare assuescant, & ea potissimum ediscant, quibus Christianæ fidei rudimenta continentur.

2 Præcipimus ergo Parochis, vt singuli eorum omnibus diebus festis, aut saltem Dominicis (exceptis tamen Dominica Palmarum, Resurrectionis Domini, & Pentecostes) præcedente aliquo signo conuocari iubeant in Consuetas Ecclesias Pueros, & Puellas suę Parochiæ, eosque doceant rudimenta nostræ fidei, & quæ sunt ad salutem necessaria, & in primis ea, in quibus præcipuè Lex

Christiana consistit. Qui non paruerint, prẹter Dei omnipotentis indignationem, prima vice punientur poena pecuniaria à Nobis, aut à Nostro Vicario Generali taxanda: quẹ poena augebitur in secunda, & tertia transgressione. At si absque legitima causa à Nobis, aut à Nostro Vicario Generali approbanda, quatuor continuis vicibus, aut octo interpolatis in anno id exequi prætermiserint, suspensionem à Diuinis Nobis reseruatam ipso facto incurrant. Quibus poenis subiaceant etiam Cappellani, qui Parochis in hoc ministerio suam exhibere operam tenentur.

3 Pueri moneantur à Parochis, vt Deo, à quo bona cuncta procedunt, debitum honorem exhibeant, vt Parentibus, & Prælatis suis obediant, vt à peccatis abstineant, vt prauorum hominum familiaritatem euitent, vt innocentiam, religionem, & temperantiam amplectantur.

4 Parentes, & alij, quorum interest cura Puerorum, eosdem ad Doctrinam Christianam addiscendam inducant: qui si negligentes fuerint à Confessarijs moneantur, nec absoluantur, nisi resipuerint. Prẹterea hortamur Parochos, vt, si postquam aliquem, aut aliquos Parentes admonuerint, vt filios ad Doctrinam Christianam mittant, eos negligentes repererint, statim Nos doceant, vt huiusmodi eorum negligentiẹ occurramus, etiam priuando eos commodis, & eleemosynis, quas Montes frumentarij, aliaque pia loca solent suppeditare.

5 Si post terminum datum, & pluries prorogatum aliquis non didicerit Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, Ecclesiastica, & Diuina Præcepta, non absoluatur, nec admittatur à Paro-

cho-

cho ad matrimonium contrahendum, sed ad Nos, aut Nostrum Vicepœnitentiarium transmittatur.

6 Et quia messis est multa, Operarij autem pauci, volumus, vt ad pium huiusmodi ministerium exercendum etiam Clerici tam in Ciuitate, quàm in Diœcesi conueniant, & proprijs Parochis omni sedulitate deseruiant: Qui si secus fecerint, ad alios superiores ordines ascendere nunquam sperent.

7 Ex dispositione sacri Concilij Lateranensis sub Leone Papa X. celebrati, Ludi magistri pueros instruant non solùm in humanioribus litteris, verum etiam in Ecclesiastica disciplina, & Christianæ fidei rudimentis: & quos animaduerterint vagos, & instabiles ab Ecclesia declinare, acriter arguant. Ex hoc autem, aut quouis alio adiumento Parochi non intelligantur soluti ab onere docendæ Doctrinæ Christianæ. Quod munus per se ipsos, nisi legitimè impediti fuerint, aut per idoneos ministros à Nobis, aut à Nostro Vicario Generali approbandos omnino exercere debebunt.

8 Vbi Doctrinæ Christianæ sodalitates erectæ non sunt, Rectoribus animarum committimus erigendas, & si collapsæ fuerint, instaurentur. Ii autem, qui huiusmodi sodalitatibus adscribuntur, statutis temporibus fidei catholicæ principia rudiores edoceant, vt indulgentiarum thesauros consequantur, qui à Pio Quinto, Gregorio Decimotertio, Clemente Octauo, & Paulo Quinto summis Romanis Pontificibus conceduntur.

De

De Verbi Dei Concionatoribus Titulus III.

1 LOquendi auctoritas infructuosa est, nisi vox operibus adiuuetur: cuius enim vita despicitur, sermo contemnitur. Et ideo qui Sanctæ Prædicationi præficitur, studeat exequi, quod alijs suadere nititur; nè versari videatur in Fluetibus voluptatum, qui alios ad littus perfectionis impellit.

2 Concionatores perpetuò ante oculos habeant, Euangelicę prędicationis finem esse salutem animarum; & negotium, quod agunt, non esse proprium, sed proximorum. Idcirco, pecunias, & alia sibi dari manuscula non affectent, nihilque publicè peragant, quod sapiat auaritiam, & turpis lucri suspicionem redoleat. Extorquere ab auditoribus eleemosynam pro se, vel pro socio, non probamus: quę autem sunt victui necessaria; & singulis annis Concionatoribus dari solita, non ad voluptatem recipiant, sed ad præscriptum necessitatis, & titulo eleemosynę.

3 Diuinum Verbum explicent sine fuco humanarum scientiarum, non admixtis fabulis Poetarum, nec doctrinis Ethnicorum adhibitis. Firment ędificium suę loquutionis in auctoritatis Euangelicę fundamento, in sacris litteris explicandis sanctis Patribus innitantur, quorum doctrinam impudenter non improbent, nec refellant.

4 Fugiant longas descriptionum series, in quibus nul-

la est veritatis Euangelicę plenitudo, nulla iustitię diuinę saturitas. Vtilia, non pulchra loquantur, & potius studeant fructuum vbertatem afferre, quam voluptuosa florum varietate placere. Abstineant à facetijs, & à dicacitatibus importunis: dum enim prædicant Christum Crucifixum, non risum, sed gemitum & dolorem ab Audientibus Captent.

5 Diuulgare miracula non approbata sub excommunicationis sententia non pręsumant, nec Indulgentias Nobis inconsultis ex suggestu denuncient. Sed si pauperes ad eorum inopiam subleuandam consenserint auditoribus commendare, priùs licentiam obtineant à Nobis, aut à Nostro Vicario Generali in Ciuitate, & à Vicarijs foraneis in Diœcesi.

6 Sancta prędicatio congrua debet esse moribus populorum, quemadmodum ęgrotanti congruam medicus pręcipit medicinam. Et ideo Concionatores scrutari à Parochis studeant, qui nam sint populi mores, quę viuendi licentia, quę vitiorum incitamenta, quę scandala: vt opportunam Auditoribus prędicationem instituant, & vitia, quę sunt corrigenda redarguant.

7 Acriter inuehantur in blasphemos, eosque suorum verborum iaculis insequantur. Concubinarios etiam, Stupratores, adulteros, incestuosos, aliosque luxurię deditos insectentur: ijs tamen loquutionibs adhibitis, quę castas audientium aures non offendant.

8 Frequenter vnumquemque moneant, & hortentur, vt Sacramentali Confessione pręmissa ad Sanctissimam Eucharistiam accipiendam accedat: vt qui conscientiam habet

pec-

peccatorum ęgritudine infectam, ad opportuna medicamenta Confugiat, & conualefcat.

9 Declarent principaliora fidei noftrę myfteria, abftinentiam prędicent, ieiunium Ecclefiaftico pręcepto fidelibus iniunctum, vt omnino feruetur, infiftant; Parentes, qui negligunt filios ad Doctrinam Chriftianam difcendam inducere, reprehendant; & fepè in memoriam audientium reuocent quatuor illa Nouiffima, quibus homines à Committendis Criminibus terreantur.

10 Generatim loquantur; & ita perfonis pareant, vt quas voluerint Concionatores arguere, nunquam populus fufpicetur. Sed fi neceffe haberent aliquos admonere, qui fpectata perfonę dignitate, conditione, feu qualitate, facilè publica prędicatione auditoribus innotefcerent, priuatim fraterna correctione pręmiffa illorum infirmitatibus confulant.

11 Abfoluto diuinę prędicationis officio, cuiufuis nominis Deputati Concionatoribus iam difceffuris confuetam eleemofynam largiantur: vt qui Euangelicam vineam coluerunt, fuam referant pro fufcepto labore mercedem. Qui fi durę ceruicis extiterint, ftatim, & abfque vlla figura iudicij foluere compellantur.

12 Nemo in Ecclefijs noftrę iurifdictioni fubiectis, fiue fęcularis fuerit, fiue regularis, audeat prędicare nifi prius à Nobis licentiam obtinuerint. Regulares autem in Ecclefijs fuorum ordinum concionari volentes, prius Superiorum fuorum teftimonium ferant, & coram Nobis compareant, benedictionem recepturi, ex Concilio Tridentino. Monialibus autem nemo audeat prędicare, nifi fpe-

ſpecialem à Nobis facultatem priùs impetrauerit.

13 Vniuerſitates, quibus competit Concionatores pro quadrageſimali tempore nominare, monendas eſſe duximus, vt omnino ante Natiuitatem Domini hoc debeant præſtitiſſe. Inſuper tam Vniuerſitates prædictæ, quàm alij omnes, qui prætendunt, ſibi competere legitimum ius nominandi Concionatores, in litteris teſtimonialibus nullo pacto vſurpare præſumant hos terminos, Eligimus, ac Deputamus, conſuetudine in contrarium quacunque non obſtante: cùm nihil aliud ipſis permiſſum ſit à Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium, quàm nominare, & coram Nobis præſentare. Si ſecus factum fuerit, Concionatores ab eis ſic electi ad prædicandum non admittentur. Elapſo autem prædicto Natiuitatis Domini termino, Concionatoris nominatio ad Nos erit deuoluta.

14 Parochi, quorum proprium eſt prędicandi munus, Dominicis ſaltem diebus plebes ſibi commiſſas pro ſua, & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis, & Euangelium breuiter explicent. Ad eos etiam pertinebit commoneſacere concionatores de vitijs, & peccatis, quę frequentiùs à populo ſuę Parochię committi ſolent: vt illi eadem vitia deteſtari, populunque ad reſipiſcentiam reuocare valeant. Quia verò laicos doceri potius decet, quam docere, ſub excommunicationis poena ſacris conſtitutionibus contenta prohibemus, nè quis eorum prędicare, ſermocinari, de fide catholica diſputare, aut ſacram Scripturam exponere pręſumat.

15 Concionatores omnes noſtrę Diœceſis, poſtquam prędicationis curſum confecerint, ad Nos accedere te-

neantur, vt quę in locis, vbi prędicauerint, vitia recognouerint, Nobis patefaciant. Qui verò iusto impedimento detenti venire non poterunt, saltem per litteras hoc exequi studeant.

16 Nullus Concionator audeat e suggestu repręsentationes, exhibere sine Nostra, aut Nostri Vicarij Generalis licentia, in Ciuitate, & Vicariorum Foraneorum in Diœcesi.

17 Temporibus Aduentus, & Quadragesimæ, quando annunciatur populo verbum Dei suas claudant officinas opifices; & qui ludos exercent, pausam faciant, & quiescant: nè qui propter curiositatem aduenerint, distrahantur, & audire Concionatorem omittant. Qui non paruerint, pœnas nostro arbitrio imponendas incurrant.

18 Concionatores, qui in Vinea Euangelica portant onus diei, & ęstus, cum primo aduenerint, recipiantur humaniter, & successiuè oblatis refectionibus officiosè tractentur. Propterea Deputati, quibus specialiter cura huiusmodi demandatur, se gratos exhibeant, & victum necessarium quotidie subministrent. Qui si secus fecerint, & claudere pręsumpserint propter auaritiam viscera charitatis, eò seueriùs puniantur, quò minus liberaliter se gesserint.



De Hęreticis, & libris prohibitis.

Titulus IV.

1 Illi habendi ſunt Hęretici, qui dicunt, docent, ſcribunt, aut prædicant contra Sacram Scripturam, aut articulos fidei catholicæ, contra ſanctiſſima Eccleſiæ Sacramenta, aut ritus Eccleſiaſticos, contra ſacrorum Conciliorum decreta, aut Summorum Pontificium determinationem, & auctoritatem, contra traditiones Apoſtolicas, Purgatorium, indulgentias, & ſimilia.

Quam pernicioſi autem Eccleſiæ Dei ſint Hæretici, colligere licet ex varijs, grauibuſque pœnis, quas in eos, eorumque receptatores, & fautores conſtituerunt Sacri Canones, Bullæ Summorum Pontificium, eſt præſertim Bulla in Cœna Domini, quę propterea ſemel ſaltem in anno à Parochis publicè in Eccleſijs ſuis erit legenda; populique erunt admouendi, vnumquemque teneri Nobis, aut Sanctæ Inquiſitionis officio eoſdem hæreticos denunciare; neque ab hac obligatione excuſari quemquam prætextu Conſanguinitatis, affinitatis, amicitię, aut aliqua ſpe emendationis.

2. Pari ratione eſt in ſuſpectos de hęreſi procedendum; licèt qui videantur religionem catholicam profiteri, tamen more luporum, qui ſub ouina pelle ſe contegunt, moliuntur ouibus inſidias, & falſis dogmatibus inhęrentes, prętextu pietatis gregem Dominicum diſſipant, & diſperdunt.

3 De hæreſi ſuſpecti dicuntur, qui licèt verba non

edant hęreticalia, ſapiunt tamen hęreſim operationes illorum: vt, qui Sanctiſſimi Eccleſię Sacramentis, aut Sacramentalibus abutuntur, qui Crucis imaginem ſpernunt, aut ſimulacra Sanctorum malitiosè contemnunt, qui non ſumunt Euchariſtiam in Paſchate; & miſſam feſtis diebus non audiunt, qui concionibus hęreticorum interſunt, qui Citati, aut vocati pro habenda reſponſione circa fidem non obediunt, aut contumaces latitant, aut infra terminum competentem ijſdem iuridicè aſſignatum non comparent, & qui in cauſis fidei iudicialiter interrogati mentiuntur, & peierant; qui quaſdam propoſitiones proferunt adeo temerarias circa fidem, vt lædant aures audientium, neque eas declarare ſtudent, aut alia ſimilia peragunt.

4 Scripta, ſeu cuiuſuis generis documenta, quę Catholicę fidei candorem infuſcant, & obſcurant immaculatam dignitatis Eccleſiaſticæ puritatem, prohibuit Sancta Tridentina Synodus, circumferri, & à fidelibus retineri. Nos igitur perniciosos libros huiuſmodi, qui ſub pœnis grauiſſimis apoſtolica auctoritate damnantur, Deo adiuuante curabimus abolendos, & tanquam Zizania ſeparandos à tritico Catholicę veritatis.

5 Bibliopolæ, qui magnam librorum ſuppellectilem coaceruant, & magis illorum ſpectaculo, quàm ſtudio delectantur, ſi in noſtram Ciuitatem, aut Diœceſim aduenerint, & voluerint Codices huiuſmodi vendendos exponere ſub pœna amiſſionis omnium librorum, quos deferunt, prius in Cancellaria Epiſcopali notulam eorundem exhibeant, & à nobis, ſeu Noſtro Vicario Generali licentiam in ſcriptis concedendam obtineant.

6 Si

6 Si quis animaduerterit, ab aliquo libros hęresim sapientes, aut ab Ecclesia Romana damnatos diuulgari, legi, aut retineri, illum infra tres dies Nobis, aut Nostro Vicario Generali denunciet: qui si parere contempserit, à Confessarijs moneatur, nec absoluatur, donec in obstinatione permanserit.

7 Mandamus etiam, nè quis Sacrę Scripturæ verbis, aut sententijs ad facetias, aut scurrilitates abutatur, nec ad sensus minus honestos detorqueat. Si quis autem hoc facere pręsumpserit, pœnis contra Verbi Dei violatores, & Corruptores constitutis, alijsque nostro arbitrio imponendis subiaceat.

De Blasphemijs

Titulus. V.

1 OMnia quidem crimina detestabilia sunt: sed nullum detestabilius est blasphemia, quæ in ipsum rerum omnium Conditorem, omnesque Cælicolas impudenter sæuit. Quis enim impiæ linguæ temeritatem ferre possit, quæ cum ad celebrandas Dei laudes adhibenda semper esset, in eiusdem contumeliam & contemptum adhibetur?

2 Eos igitur, qui Curę animarum pręsunt, hortamur, atque in Domino obsecramus, vt huius peccati grauitatem suis populis explicent; ac diligentissimè curent, vt tam enorme scelus ab omnibus euitetur, expositis pœnis, quę con-

contra Blaſphemos à Sacris Canonibus, Summiſque Pontificibus grauiſſimę ſunt conſtitutę. Illos autem, quos in hoc vitium lapſos compererint, acriter increpent, eiſque graues, ac ſalutares pœnitentias imponant.

3 Quia verò experientia didicimus, erroneam eſſe conſcientiam aliquorum, putantium, quam libet ſimplicem imprecationem eſſe grauem blaſphemiam: ad Parochos pertinebit explicare, ac declarare plebi ignaræ quæ vere dicendę ſint blaſphemię; & quę ſit hæreticales, quæ non hęreticales. Quam materiam vt ipſi alios docere poſſint, à ſcriptoribus caſuum conſcientię diligenter cognoſcere ſtudeant. Curent etiam, vt omnes ſciant onus, quo quiſque ligatur denunciandi eos, quos blaſphemare audierint, iuxta Bullam B. Pij Quinti.

4 Scire debent pręterea omnes Confeſſarij, ex eiuſdem B. Pij V. aliorumque Summorum Pontificum conſtitutionibus, non eſſe abſoluendos eos, qui in hoc genere deliquerint, niſi prius grauis pœnitentia illis imponatur, quæque Diuinæ Maieſtatis offenſæ reſpondeat. Blaſphemos autem nullus ebrietatis, aut irę pretextu à pœnis, quas prędictæ apoſtolicæ Conſtitutiones impoſuerunt, in iudicio excuſabit.



De In-

De Incantationibus, Maleficijs, & Superſtitionibus.

Titulus VI.

1 QVi recuperare contendit ſine Saluatore ſalutem, & ſine vera Sapientia fieri ſapiens, aſſidua mentis, & Corporis ęgritudine laborabit, in perpetua cęcitatis caligine permanſurus. Et ideo virulenta curatio, quę à magicis artibus, aut ab ipſis infernalibus furijs in contemptum religionis expetitur, Cum peſtem inducat in animam, & trudat admortem, tolerari ſalua fidei integritate non poteſt: vnde iura clamant, & huiuſmodi delicta pluribus pœnarum exemplis cauenda eſſe demonſtrant. Sed qui peſtiferam habere ſocietatem Dęmonum, cùm viuerent, voluerunt, decedentes ijſdem tradantur Dæmonibus puniendi.

2 Qui in Ciuitate, aut Diœceſi ſortilegi, aut Malefici deteguntur, ſeueriſſimè puniantur; & adhibito Spirituali gladio, à fidelium commercio ſeparentur. Et ideo ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, alijſque pręſcriptis à Sacris Concilijs, & Canonibus, & Noſtro arbitrio imponendis, nemo audeat, vel pro ſanitate recuperanda, vel pro maleficio diſoluendo, vel pro tempeſtate ſedanda, vel pro rebus perditis inueniendis, vel pro rerum futurarum habenda notitia, vel pro quocumque alio fine conſequendo, ſuperſtitionibus, incantationibus, diuinatio-

tionibus, & Sortilegijs vti, maximè si abusus Sacramentorum, & rerum sacrarum interuenerit.

3 Parochos admonemus, vt sępè populum doceant, fugiendas esse huiusmodi superstitiones, omnesque inanes obseruationes certarum rerum, actuum, temporum, & locorum, recitationes quarundam orationum, vel non approbatarum, vel ab Ecclesia reprobatarum, vsum scripturarum incognita nomina continentium, caracteres, circulos, & triangula, & nullas cuiuslibet generis incantationes aliquid remedij posse conferre languentibus, & moribundis: sed esse diabolica quædam figmenta ad decipiendum humanum genus inuenta.

4 Pœnas autem supradicta incurrent etiam illi qui ad incantationes, maleficia, & superstitiones consilium, aut auxilium quouis modo pręstant. Nos interim districtè & in virtute sanctę obedientiæ Parochis pręcipimus, vt non solum quàm diligentissime inuestigent, an in suis parochijs degant Personæ huiusmodi crimina perpetrantes: verum etiam eas Nobis statim denuncient. Ipsi verò Parochi, & Concionatores in hęc impia scelera sępè inuehantur, pœnasque à fel. record. Sixto V. in sua Constitutione, quę incipit Cęli, & Terrę contra huiusmodi flagitia exercentes constitutas, exponant.



De Seminario Puerorum
Titulus VII.

1 SEminarium, vbi Pueri humanioribus litteris erudiuntur, Nos, Deo adiuuante, in ampliorem, ac decentiorem locum transferendum curauimus. Cùm autem Sanctissimo Domino Nostro Clementi Decimo eiusdem Seminarij egestatem exposuissemus, ab eodem specialem hanc gratiam impetrauimus, vt ex hæreditate Illustrissimi, ac Reuerendissimi D. Fabij Blondi Patriarchę Hierosolymitani annuos redditus scutorum centum huic Seminario assignare possemus, vnde Grammaticę, & Humanitatis Pręceptori, atque etiam musicę Magistro competens stipendium constitueretur.

2 Volumus, vt in hoc Seminarium Pueri recipiantur, qui pauperes sint: neque tamen diuites excludentur, modò suis sumptibus alantur. Ius autem admittendi in Seminarium tam Alumnos, quam Conuictores, Nobis, Nostrisque Successoribus reseruamus.

3 Quod ad eiusdem Seminarij regimen, bonamque administrationem attinet, quasdam Nos Regulas, & Constitutiones pręscripsimus, easque omnino obseruari mandamus.

De Lectione Casuum Conscientię, & de Conferentia eorundem

Titulus VIII.

1 A Laudabiliorum commercio studiorum nulla ętas excluditur, nec reprobatur vsque ad vltimam discere Senectutem: vnde non debet deesse, qui doceat, & veritatis arcana dissoluat. Propterea ex Concilij Tridentini decreto Prębendam theologalem duximus erigendam, Clerus ingenij pręstantioris existat, & in ijs, quę spectant ad sacrarum Scripturarum intelligentiam, instruatur.

2 Cùm Canonici interesse lectioni casuum Conscientię teneantur, prout Sacra Congregatio Concilj Tridentini pluribus resolutionibus declarauit, illos admonemus, vt pareant, & eò se promptiores ad obediendum exhibeant, quò humaniùs eos admonendo tractamus.

3 Reliqui Sacerdotes, & Clerici Ciuitatis, & Diœcesis ad audiendam casuum Conscientię lectionem accedant, vt studijs litterarum instructi, tantum voluptatibus denegent, quantum discendi labore proficiunt. Qui si secus fecerint, & inertia, aut nimia quiete torpuerint, Nostræ admonitionis seueritati subiaceant, & prouehi ad altiora desperent.

4 Quod spectat autem ad eorundem casuum Conferentiam, quia Nos animaduertimus non sine magno animi

mi Nostri moerore, hoc tam laudabile, ac necessarium exercitium non modò refrixisse, verum etiam intermissum prorsus esse in Nostra Diœcesi, pastorali sedulitate curauimus, vt in vsum reuocaretur. Et quia certis etiam Edictis prescripsimus praxim, quam in hac materia opportunam putauimus, eam fideliter vbique iubemus obseruari: alioquin transgressores eas, quas interminati sumus, pœnas irremissibiliter experientur.

De Vita, & honestate Clericorum

Titulus IX.

1 QVi Dei, atque Ecclesiæ ministerio sese vltro manciparunt, eam vitæ probitatem, exterioremque cultum exhibere debent, vt eiusdem Dei Ministri meritò existimari, ac vocari possint. Nisi enim moribus, atque habitu præcipuam quandam honestatem præseferant, non Dei, sed mundi obsequium spectare conuincuntur.

2 Sicut Clerici magna puritate, atque integritate morum debent enitere, vt ab ipsis, tanquam à quibusdam candelabris Christianæ Sanctitatis lucem alij accipiant, clarumque bene viuendi exemplum desumant: ita Sacri Canones, ac Summorum Pontificum decreta constituerunt, vt decenti, etiam habitu ab alijs distinguantur. Nos ergo eorundem Canonum Constitutionibus inhærentes precipimus, vt Clerici omnes tam in minoribus, quàm in

maioribus ordinibus constituti Veste ita longa semper vtantur, quę ad medias vsque tibias descendat, & omni ex parte sit clausa, nec dimidiatas, aut apertas manicas habeat. Anulos, aliosque vanos ornatus omnino effugiant. Qui contrauenerint, pœnas subeant Nostro arbitrio imponendas.

3 Comam nutrire caueant, capillorum superfluitatem euitent, & clericalem coronam in capitis vertice semper gerant, sub pœna scutorum decem, quę pijs locis applicabuntur.

4 Et quia eos, qui clericalem statum elegerunt, omni ex parte modestos esse decet, volumus, vt etiam interior Clericorum habitus modestissimus sit. Immoderata igitur ornamenta, coloresque omnes, qui immodestiam sapiant, prohibemus: atque eos tantùm in vestitu interiori adhiberi mandamus, qui modestiam redoleant; qualis est color niger, violaceus, fuluus, cinereus, & si qui sunt huius generis alij. Eandem coloris modestiam seruabunt Clerici in tibialibus: calceis verò semper nigris vtantur, præsertim in Ecclesia, dum sacris ministerijs, diuinisque officijs inseruiunt. Qui secus facere audebunt, pœnam soluent scutorum quinque, vt supra applicandorum.

5 Nullus omnino Sacerdos in Nostra Diœcesi (nisi exstraneus fuerit, & per transitum) vllo vnquam tempore missam celebrare, aut sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum administrare præsumat sine veste, quæ ad talum vsque pertingat, sub pœna suspensionis à diuinis ipso acto incurrendæ, & Nobis reseruatę. Quam pœnam incur-

current etiam illi ſacerdotes, qui diebus feſtiuis in administrando Pœnitentię Sacramento in Eccleſia eadem talari veſte non vtentur.

6 Qui Spirituali pręſidio muniuntur, vſum viſibilium armorum abijciant, nec audeant arma deferre militaribus vſibus deſtinata; videlicet ſclopum etiam venaticum, ſicam, gladium, pugionem, cæteraque huiuſmodi, ſub pœna carceris per ſex menſes: quę verò ſpecialiter à iure communi, aut Apoſtolicis Sanctionibus ſub pœna vltimi ſupplicij prohibentur, eadem Nos ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendę Clericis interdicimus deportare.

7 Nullo modo ferre poſſumus, vt cuiuſcunque ordinis Clerici, qui Sacrorum pręcipuè librorum lectioni, aliisque pijs exercitationibus omne ſuum ſtudium dicare debent, inter ludos tempus inutiliter tranſigant. Quare ſi quis ludere, preſertim aleis, aut taxillis auſus fuerit pœnem carceris per tres menſes ſubibit: qui autem ludis interfuerit, carceris item pœnam vnius menſis ſpatio ſuſtinebit, & grauiùs etiam punietur ille, qui eiſdem luſoribus opportunitatem, & commoditatem ſuæ domus exhibebit.

8 Adſcripti clericali militiæ deſinant præcipitanter erumpere, iactari ſtagnis, ſiluis, ac vepribus: nè qui in clamoſis venationibus occupantur, fraudem ſacris Canonibus faciant. Illi verò, quibus poſt pulſatam circiter noctis horam egredi ex edibus ſuis opus fuerit, nonniſi cum accenſo lumine prodeant, ac procedant.

9 Circumferri tripudio, fictamque perſonam indue-

re,

re, incitamentum ad libidinem esse solet, maximumque animi leuitatem arguere. Ideo prohibemus, nè quis Clericus, sub pœna carceris per tres menses choreis indulgere, aut personatus incedere audeat: qui verò eisdem choreis interesse pręsumpserit, Carceris per vnum mensem pœna afficietur.

10 Cum Clerici iter habent, liceat eis per transitum duntaxat cauponas ingredi, & tunc debitam grauitatem, ac modestiam retineunt. Sed extra huiusmodi casum, si quis ipsorum in Cauponis, aut tabernis fuerit deprehensus, aut in illas eum intrasse nouerimus, si in maioribus ordinibus fuerit constitutus, decem scutorum, sin in minoribus, quinque scutorum poenam soluet.

11 Qui Sacris initiatus extiterit, & Ancillam adolescentulam retinere non erubuerit, statim illam dimittere sub poenis grauissimis compellatur. Imò ne scintilla cupidinis erumpente Clericus accendatur ad Venerem commercium Puellarum effugiat, quas sine Nostra licentia non præsumat legendi, aut scribendi peritiam edocere.

12 Desinant mercaturam Clericus exercere, nec se immiscere illicitis negotiationibus patiatur; non compareat coram Iudicibus laicis causarum patrocinium suscepturus; nec consentiat se in aduocatum assumi, nisi in casibus à iure permissis; in profanis negotijs non fungatur officio tabellionatus, nec eligatur in scribam alicuius vniuersitatis; à gubernationibus, & procurationibus suscipiendis abstineat; nec lucris maioribus inhians, prędia aliena conducat; pro alijs absque licentia non fideiubeat; nec medicam artem exerceat; qui si fuerit in sacris ordinibus con-

constitutus, laicis absque nostra expressa licentia inseruire, & ijsdem desinat sordidum ministerium exhibere.

13 Clerici minoribus ordinibus initiati Ecclesijs, quibus fuerint adscripti, omnino inseruiant, & Conferentiæ casuum conscientiæ intersint: quòd si non paruerint, ad maiores ordines non ascendent. Clerici verò Coniugati fori priuilegio non gaudebunt, nisi clericali habitu vtantur, & Ecclesię cuius obsequio à nobis fuerint destinati, inseruiant.

14 Sub poena Carceris per mensem, alijsque Nostro arbitrio impónendis, nullus Clericus, & præsertim sacerdos audeat aliquod vile, aut mechanicum ministerium exercere. Et quia aliqui non sine maxima Ecclesiasticæ conditionis ignominia, ac vilipendio, depósito interdum clericali habitu, aratrum, aut ligonem tractare, campos excolere, atque alia huiusmódi rusticana munia obire non erubescunt: Sollicitè ac seriò illos admonemus, vt in posterum à tam vilibus exercitijs abstineant, nisi velint supradictas, ac seueriores etiam poenas experiri.

15 Dedecet eos qui clericali charactere non sunt insigniti clericalem sibi habitum assumere. Quare sub poena carceris, alijsque, quas nostro arbitrio reseruamus, prohibemus, nè quis laicus audeat superpelliceo se induere. Atque sub eisdem poenis prohibemus, nè quis Clericus superpelliceum sine habitu clericali vnquam gerat.

16 Omnes etiam cuiuscunque ordinis clericos admonemus vt cum intersunt Choro, ibique diuina officia recitant, aut concinunt, superpelliceo induantur: si prętertim Chorus adeo est patens, vt inde Clerus à fidelibus, qui sunt in Ecclesia, possit facilè prospici.

SES-

SESSIO SECVNDA

De Sacramentis in genere

Titulus I.

1 SACRAMENTA, quę ex vulneribus Redemptoris pro veteris hominis renouatione fluxerunt, si subducta peccati labe tractentur, fouent in anima Sanctitatem, & Deo suam indulgentiam largiente multùm proficiunt ad Salutem: Sed si ab indigno sumantur, fiunt opportunitas delinquendi, quę sunt incrementa virtutum. Igitur, qui sibi dari mysteria sacra petierint, ita se gerant, vt Deum potius ad ignoscendum inuitent, quam prouocent ad vindictam. Ipse etiam Sacramentorum Minister curare debet, vt antequam ad ea administranda accedat, ab omni lethali crimine sit purus: quòd si Confessarij copiam non habuerit, contritionis actum saltem eliciat. Quoties autem Baptismi, aut Eucharistię, aut Extremæ Vnctionis Sacramenta est ministraturus, superpelliceo, ac stola semper sit indutus.

2 Materiam, & formam Sacramentorum, quam Christus Dominus instituit, & determinauit, & ritus, seu cęremonias, quas vel præscripsit Ecclesia, vel consuetudo recepit, nemo audeat omittere, seu immutare: imò singula verba, quæ pertinent ad formam, seu ministerium Sacramenti, ita clarè, ac religiosè dicantur, vt adstantes

non

non ad contemptum, sed ad contemplationem rerum cælestium excitentur.

3 Et cùm memoria plerumque labatur, aliæ orationes, & præces, quæ in Sacramentorum administratione proferuntur, ex Rituali Romano, quod semper præ manibus haberi volumus, recitentur.

4 Sacramentalia, & Sacramenta, quæ sunt ad salutem humani Generis instituta nunquam ad vsus profanos, & sacrilegos conuertantur, nec à Parochis alteri concedantur, etiam sub prætextu medicinæ, seu maleficij causa curandi. Qui si secus fecerint, præter alias poenas, ipso facto excommunicationem incurrant Nobis reseruatam. Et si id in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento (quod Deus auertat) contigerit, supradictis poenis addetur etiam Triremis supplicium, Nostro arbitrio pro delicti grauitate constituendum.

5 Falcem immittere in segetes alienas est Seminarium iurgiorum. Ideo in aliena Parochia nullus, siue Sæcularis, siue Regularis, Sacramenta ministret, nisi prius à loci Parocho licentiam obtinuerit, casu tamen necessitatis excepto.

6 Parochos omnes admonemus in Domino, vt seduli, paratique sint ad Sacramenta administranda populo sibi commisso, & præsertim Infirmis, quibus grauiter, ac periculosè ægrotantibus assistere etiam debent, vt eorum animas Deo omni charitate commendent.

7 Si fortè acciderit, vt Parochi culpa sine solitis Sacramentis aliquis ab hac vita decedat, idem Parochus carceris, ac triginta scutorum pœna punietur, præter rationem, quam Deo erit redditurus.

8 Animarum Curatores frequenter legant RitualeRomanum, Pauli Quinti Pontificis Maximi iussu editum, quod ab omnibus Parochis Nostræ Diœcesis adhiberi volumus: & propterea singulis eorum præcipimus, vt sub pœna scutorum sex illud habeant.

9 In Sacramentorum administratione verba formæ, cùm actualiter sacra materia applicatur, non antea, nec postea proferant. Præcisa necessitate, nè sibi licere putent ad suam maiorem commoditatem administrare Infirmis vno, eodemque tempore Sacramentum Eucharistiæ, ac Extremæ Vnctionis. Quòd si id facere præsumpserint, seuerè à Nobis punientur. Volumus etiam, vt Sacramenta semper in Ecclesia, nisi necessitas aliter postulet, administrentur.

10 Atquæ, vt rudis populus virtutem Sacramentorum, ac mysteria, quæ in ipsis continentur, intelligat, Parochorum erit munus ea vernaculo idiomate diligenter explicare inter missarum solemnia, seu cùm Doctrinam Christianam docent.

11 Neque ad Sacramenta administranda, præsertim ægrotis, expectare semper debent, vt vocentur: sed sponte accedere studeant. Illud etiam omninò caueant, nè pro Sacramentorum administratione quidquam à quauis persona petant, sub pœna nostro arbitrio, pro vt delicti grauitatem exigere iudicabimus imponenda: quæ enim gratis accepimus, gratis etiam dare debemus. Permittimus tamen exiguum aliquod munus accipere, quod peracto iam Sacramento eis vltro exhibeatur.

De Sacramento Baptiſmi.

Titulus II.

1 NAſcitur ſubditus impietati, in quem originale peccatum carnis propagatione transfunditur. Propterea regenerari ſpiritualiter opus eſt, qui carnaliter generatur, vt per Chriſtum in gratia virtute baptiſmatis renaſcatur, qui per primum hominem in peccato prodiuit in lucem.

2 Parochi in adminiſtratione huius Sacramenti celeres ſint, & expediti: ne propter eorum incuriam alicui ex hac vita migrare contingat non ſuſcepto baptiſmo. Qui ſi aliter fecerint, præter rationem, quam erunt ſtrictiſſimam Domino reddituri, à Nobis etiam ſeueriſſimè punientur. Nullus autem Sacerdos audeat in quauis Eccleſia Baptizare ſine Noſtra, aut Parochi licentia.

3 Cum deceat in loco ſancto Sancta tractari, proprius huius Sacramenti adminiſtrandi locus eſt Eccleſia. Nemo igitur audeat ſub pœna carceris per tres menſes in priuatis domibus baptizare, niſi caſus talis neceſſitatis emerſerit, vt Infans in vitæ diſcrimine conſtitutus ad Eccleſiam deferri non poſſit.

4 Nomina Pueris imponenda non ſint Gentilium, nec obſcæna, nè fideles cum ethnicis participare videantur in ipſo chriſtiane religionis ingreſſu: ſed ſint propria Sanctorum, vt habere mereantur interceſſores in Cęlis, quorum nomina elegerunt in terris. Sub pœna igitur ſcutorum quin-

que Parochi, alijque Sacerdotes caueant, ne baptizandis alia, quàm Sanctorum nomina imponant.

5 Qui ad Ecclesiam aliquantum distantem deferunt puerum baptizandum, secum ferant aquam in vrceolo, vt, si aliquo casu inopinato vrgeret in via baptizandi necessitas, materia statim habeatur inpromptu.

6 Mulier officium obstetricis exercens, à Nostro Vicario Generali in Ciuitate, & in Diœcesi à Parochis examinetur circa materiam, & formam huius Sacramenti, ac intentionem habendam à ministrante: & si opus fuerit instruatur; imò, si minus idonea fuerit reperta, subire officium huiusmodi non prȩsumat.

7 Quamuis hoc Sacramentum possit ab omnibus in casu necessitatis licitè ministrari: tamen hic ordo seruetur, vt concurrentibus alijs prȩferatur Sacerdos, deinde Diaconus, tum Clericus, postea laicus, vltimo fœmina. Ad baptizandum autem puerum proximè moriturum, qui nondum ab vtero matris egressus aliquam sui Corporis partem emisit, quamuis alij commodè possint haberi, assumenda est fœmina propter honestatem.

8 Si necessitate exigente domi fuerit aliquis baptizatus, & vixerit, quàm primum ad Ecclesiam deferatur, vt aliȩ cȩremoniæ, seu ritus Ecclesiastici suppleantur; videlicet, fidei professio, vnctio, exufflatio, manuum impositio, ori salis admotio, saliuȩ in naribus, & auribus applicatio, cȩrei accensi gestatio, inunctio Chrismatis, & tandem candidȩ vestis assumptio in signum casti velaminis innocentiæ. Et nè incerta remaneat ea res, quȩ ad Salutem est simpliciter necessaria, ac nè Pueri salus in dubium

re-

reuocetur: Parochus diligenter examinet, & cognoſcat, quibus verbis baptiſmi forma prolata ſit; ac ſi de illius integritate dubitet, ipſemet Infantem ſub conditione baptizet hoc modo: Si non es baptizatus, ego te baptizo in nominę Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Infantes verò, qui proiecti expoſitique ſunt, etiam ſi ſchedulam collo appenſam habeant, quæ ipſius nomen exprimat, baptizatumque fuiſſe aſſerat: ſi tamen aliunde conſtare non poſſit, fuiſſe verè baptizatum, Parochus eum baptizet ſub prędicta conditione; atque omnia fideliter in libro Baptizatorum notet.

9 Parochi mulieres grauidas admoneant, vt vbi nonum grauiditatis menſem attigerunt, peccata ſua confiteantur, & Euchariſtię Sacramentum ſuſcipiant: nè in tam graui periculo vitę conſtitutę, ſi mori contigerit, imparatę reperiantur. Illas etiam, quę iam pepererunt, commonefaciant, vt cùm primum domo poſt partum egrediuntur, ad Eccleſiam ſe conferant, Deo gratias acturæ, ac benedictionem à Sacerdote iuxta eiuſdem Eccleſiæ ritum accepturæ.

10 Parochi populum doceant, inter ſuſceptorem (qui ex Concilio Tridentino poteſt eſſe vnus, vel vna, aut ad ſummum vnus, & vna) & inter baptizatum, & Patrem, & Matrem ipſius, omni alia fraternitate ſublata, contrahi quandam cognationem Spiritualem, quæ impedit matrimonium contrahendum, & dirimit iam contractum.

11 In ſuſceptores autem, ſeu patrinos non aſſumantur Infideles, Heretici, infames, facinoroſi, excommunicati, interdicti, non confirmati, ſeu qui tempore ab Eccleſia de-

finito

finito eo anno confiteri, & sacra Communione refici neglexerunt, qui nesciunt fidei rudimenta, amentes, minores quatuordecim annis; & denique cuiuscunque ordinis Regulares, Sæcularesque Clerici ordinibus sacris initiati.

12 Insuper monere volumus omnes tam viros, quàm mulieres, quæ pueros in baptismate susceperunt vt illos, pro quibus fideiussores euaserunt apud Deum edoceant Catholicæ fidei rudimenta; & quos ad prouectiorem ætatem viderint peruenisse, admoneant, vt castitatem custodiant, iustitiam diligant, & teneant charitatem.

13 Nè propter pericula, quibus vt plurimum experimur, pueros subiacere, contingat sine baptismate aliquem ex hac vita discedere, quamprimum deferantur infantes ad Ecclesiam, vt baptizentur; nec sub grauissimis pœnis huius Sacramenti susceptio vltra triduum differatur.

14 Nulla mulier, quæcunque illa sit, siue Mater, siue Nutrix, audeat sub præcepto peccati mortalis retinere secum in lecto infantem, qui nondum integrum ætatis suæ annum compleuit. Quòd si infantis suffocatio sequatur, eadem Mulier excommunicationem nobis reseruatam ipso facto incurrat.

15 Sal, baptismatis vsui destinatum, sit attritum, & in fragmenta minutissima redactum; propria, ac peculiari oratione in Rituali Romano apposita benedicatur; nec reuocetur in vsum, si benedicenda sit aqua; siccum seruetur, & mundum; non domi, sed in Ecclesia intra fontis baptismalis armarium reponatur.

16 Ad tollendam omnem superstitionis occasionem, candelas inter baptizandum adhibitas, gossipium, seu alio no-

nomine bombacium, quo Sacerdos Chrismatis vnctionem extergit, Parochi non domi; sed in Ecclesia apud se retineant vel comburant.

17 Parochi librum habeant grandiorem, aptèque contectum, in quo statim describant nomina non solum baptizatorum, & Susceptorum, verum etiam ministrantium, cum die, & anno natiuitatis, & suscepti baptismatis, iuxta formulam in nouo Rituali Romano pręscriptam. Volumus autem, vt hęc notatio, seu descriptio fiat à Parochis eodem die, quo baptismus administratur, sub pœna suspensionis ipso facto incurrendę.

18 Si Parochi consensu, aut ex Nostra licentia, aliquis alius Sacerdos huius Sacramenti Minister extiterit, functio nullo modo fiat sine assistentia Parochi, aut alterius periti Sacerdotis.

19 Animarum Curator, qui baptismi Sacramentum Infanti mistrauit, ad conuiuium ne accedat, quod in ędibus Parentum Infantis recens baptizati ob id paratum erit.

20 Fontis baptismalis ciborium, seu operimentum, quod erit ad similitudinem pyramidis construendum, ornetur interiùs, & depictam exterius habeat imaginem Sancti Ioannis, Christum Dominum baptizantis. Claue muniatur, ibique cætera reponantur, quæ ad perficiendum baptismatis ministerium requiruntur: videlicet, vascula sacri olei cathecumenorum, & Chrismatis vasculum cum sale benedicto cocleare nitidum ad fundendam aquam supra caput Infantis, gossipium ad abstergenda loca, sacris vnctionibus delinita, stolę duæ, alba scilicet, & violacea, linteolum candidum infantis capiti imponendum, & Rituale Romanum.

De

De Sacramento Confirmationis.

Titulus III.

1 FIdes, quam renati fonte baptiſmatis profitemur, cùm aliquando naturę imbecillitate vacillet, expedit, vt noua gratia reformetur in melius, & ad victoriam contra ſpirituales nequitias roboretur. Et ideo Chriſtus Ieſus, vt humanæ infirmitati proſpiceret, Sacramentum Confirmationis inſtituit, quo fidei robur adijcitur, & eadem cautiùs retinetur.

2 Die promulgatâ, qua nos erimus huiuſmodi Sacramentum miniſtraturi, Parochi diligenter inquirant, an in ſuis Parochijs reperiantur idonei ad illud ſuſcipiendum: quos autem aptos eſſe compererint, diſtinctè notent, ac moneant, vt pridie caput detergant, & mundent, nec non capillos, quos deferunt longiores, tondeant; imò doceant, fideles confirmatione muniri, vt ad colluctandum cum Dęmone ſe diſponant.

3 Cùm hoc Sacramentum indelebilem imprimat in anima caracterem, atque iterari non poſſit: qui ſemel illud Suſceperint, amplius redire non audeant iterum ſuſcepturi; & qui ſecus fecerint, pœnam incurrant iuxta ſacros Canones conſtitutam.

4 Minores ſeptem annis, cùm non habeant vſum rationis, admittendi non ſunt: ijs tamen exceptis, in quibus naturalis ingenij perſpicacitas defectum compenſat ætatis. Erunt etiam reijciendi, qui neſciunt fidei rudimen-

ta,

ta, qui ſunt excommunicati, interdicti, notorij criminis infamia notati, qui baptizati non ſunt. Adulti autem, vt faciliùs Sacramenti gratiam conſequantur, confeſſi, ac Sacra Communione refecti ad Confirmationem Suſcipiendam accedant.

5 Qui tenuit aliquem in baptiſmate, eiuſdem non debet eſſe ſine Noſtra licentia in Confirmatione ſuſceptor. Quos autem in Sacramento Baptiſmatis aſſumi prohibuimus in Patrinos, eoſdem in Confirmatione reijciendos eſſe mandamus.

6 Cùm ab huiuſmodi Sacramento Cognatio ſpiritualis inſurgat inter Confirmatos, eorumque Parentes, ac ſuſceptores, quæ matrimonium impedit contrahendum, & dirimit iam contractum: ideo ad effugiendum impedimentum, quod inter Coniuges oriretur, Parochi doceant, neque Virum ab Vxore, neque vxorem à Viro, neque à Parentibus eſſe ſuſcipiendos.

7 In Confirmatione à Maſculis Pueri, & à Mulieribus Puellę teneantur. Sint autem, qui ſuſcipiunt, Seniores; ſint bonæ exiſtimationis, & famæ: & cùm alios debeant iuuare Conſilijs, monitionibus, & exemplis, beneuolentiæ vſum, morum integritatem, virtutum prærogatiuam, ac vitę probitatem exhibeant.

8 Qui non eſt Confirmatus, non poteſt eſſe in hoc Sacramento Patrinus: & qui vnum, aut duos in Confirmatione ſuſcepit, plures eadem die ſine Noſtra licentia non pręſentet.

9 Parochi moneant Confirmandos, vt ſecum deferant lineam vittam, qua liganda eſt frons Chriſmatis vn-

 ctio-

ctione perunćta. Hæc autem vitta, cum vnćtura fuerit exiccata, per Parochum dissoluatur, & pœnes ipsum remaneat comburenda, cineribus repositis in Sacrario.

10 Quilibet Parochus librum habeat, vti iam diximus de libro Baptizatorum, in quo describat nomina Confirmatorum, & Patrinorum, cum die, & anno Sacramenti suscepti, prout à nouo Rituali Romano pręcipitur. Quod si pręstare neglexerit infra decem dies ab eo numerandos, quo hoc Sacramentum fuit administratum, suspensionis pœnam statim inccurrat.

De Sacramento Pœnitentiæ

Titulus IV.

1 QVI à Cupiditate deceptus, labitur in voraginem peccatorum, nunquam de se ipso desperet: potest enim reduci, & pedem referens ad meliora conuerti, si doleat, & errauisse pœniteat.

2 Nullus Sacerdos, siue sęcularis, siue regularis etiam si loci fuerit Prædicator, admittatur à Parocho ad audiendas fidelium confessiones, nisi post visam facultatem in scriptis obtentam, & à Nobis, aut à Vicario Nostro Generali subscriptam, Nostroque sigillo munitam.

3 Sed Sacerdos, qui temere, & sine nostra licentia ausus fuerit in perniciem animarum foro sacramentali pręesse, & Confessiones fidelium audire, si fuerit sęcularis, in carcerem detrudatur, debita pœna plećtendus; si verò

fuerit Regularis, perpetuò in Nostra Diœcesi Confessiones audiendi, & prædicandi facultate carebit, & à superioribus suis, quos de tanto excessu nos facturi erimus certiores, prout ijsdem visum fuerit, punietur.

4 Erit sine absolutione dimittendus, qui crimen admiserit reseruatum, vel Sedi Apostolicæ, vel Episcopo; & hortandus, vt adeat superiorem, aut alium, qui facultatem habeat absoluendi. Sed si coram superiore comparere per se ipsum Pœnitens erubescat, Confessarius hoc onus in se suscipere non recuset, & suppresso Pœnitentis nomine, facultatem absoluendi pro illa vice procuret.

5 Expedit etiam aliquando absolutionem aliquibus denegare, vel differre, donec resipiscant: ijs scilicet, qui iniurias non remittunt, qui cum suo Inimico pacem habere recusant; qui licèt affirment, se alicui acceptam iniuriam remisisse, illum tamen alloqui, aut salutare, interueniente populi scandalo, dedignantur; qui dimittere Concubinam, aut aliam occasionem proximam, qua se prouocari experti fuerint ad peccandum, renuunt euitare; qui post matrimonium contractum temerè seorsim habitare contendunt, altero coniuge recusante.

6 Quibus autem differtur, vel protrahitur absolutio, illi dimittendi non sunt cum asperitate sermonis: nè ad iracundiam prouocati, cum indignatione discedant non reuersuri; imò ęterna salute proposita inuitentur, vt redeant, cordis duritie superata.

7 Quamuis Confessarius lenitatem debeat cum seueritate miscere, nè vel nimia asperitate subditos exacerbet, vel eos multa facilitate relaxet: tamen potius admonitioni-

bus mulceat, quàm obiurgationibus prouocet; cum aliquando à criminibus committendis magis blandimenta compescant, quàm sermonis asperitas; magis charitas suadentis, quàm impetus accusantis.

8 Confessarius, qui aliquid restituendum à Confitente receperit, protinus suppresso eius nomine restituat, & solutionis documento relato, se adimpleuisse eidem Pœnitenti demonstret. Sed si incertę personę facienda sit restitutio, sciat Confessarius, illam esse Episcopo, & non alteri comittendam.

9 Sed si foro Sacramentali Prępositus animaduerterit Pœnitentem sæpiùs eandem peccati speciem incurrisse, & vsitatam culpam vim quodammodo obtinuisse naturæ: studeat ad curandum antiquæ consuetudinis vlcus opportuna exhibere remedia, vt videlicet peccandi auferatur occasio, & Pœnitens sępe confessione prǫmissa, sanctissimam Eucharistiam deuotè recipiat; vt faciat elemosynam; & quotiescunque se deliquisse viderit, ieiunijs, & disciplinis corpus attenuet, & affligat.

10 Confessarius studeat etiam seruare sigillum, hoc est secretum circa res in Confessione perceptas, quas nemini recitet, aut manifestet; & sciat, nulla ratione sibi licere detegere crimina Pœnitentis, neque pro tuenda Republica à quocunque malo, siue temporali, siue spirituali, neque pro vita propria defendenda. Qui secus fecerit, ijs erit obnoxius pœnis, quæ à Iure sancitæ sunt.

11 Si autem in re difficiliori audita in Sacramentali iudicio Confessarius necesse habuerit virum prudentiorem consulere, generalem sermonem instituat, & casum, sup-

pressо

presso Pœnitente, figuret.

12 Satisfactio, quæ in compensationem iniuriæ Deo per peccatum illatæ imponitur Pœnitenti, statim quoad fieri potest, & sine vlla dilatione temporis impleatur. Non eadem est omnibus iniungenda: sed cùm detur in medicinam, singulis iuxta eorum indigentias imponatur: tenacibus scilicet eleemosyna; ventri, & luxuriæ deditis abstinentia, & carnis maceratio. Tanta autem esse debet, vt aliqua ratione culpę respondeat, & per illam Pœnitens tantò maius diuinæ gratiæ lucrum inueniat, quanto grauius sibi damnum intulit per delictum.

13 Sacerdos ad audiendas fidelium Confessiones expositus, nullius auaritiæ stimulis vrgeatur. Idcircò eleemosynas pecuniarias, quas imponit, sibi, vel Ecclesiæ propriæ nunquam dari præcipiat, sed distributionem omnino Pœnitenti committat; & si voluerit aliquas Missas celebrandas iniungere, hoc onus in se suscipere non affectet, sed Sacerdotis electio eiusdem Pœnitentis arbitrio remittatur.

14 Sed Confessarius, qui suæ conditionis oblitus in tantam iniquitatem prorumpit, vt redditus ex Iudice reus, aut ex Medico Carnifex infernalis, ausus fuerit verbis, aut gestibus inhonestis occasione fori Sacramentalis prouocare ad turpia Pœnitentem, ab officio Sanctissimæ Inquisitionis ex Summorum Pontificum constitutionibus debita pœna plectetur. Non enim liberat, sed alligat, & adstringit, & pro pane pręparat aspidem, & Scorpionem. Vt autem notitia tanti criminis, quod secreto, & nullo interueniente teste committitur, à Nobis, aut ab Inquisitoribus habeatur: Confessarij moneant personas pœnitentes, quas sollicitatas

esse

esse nouerint in Sacramentali iudicio, vt quam primum denunciare debeant hunc animarum impium proditorem, nec absoluantur, nisi se paruisse retulerint.

15 Sacerdos in sede Confessionali intra Ecclesiæ limites existente, & non alibi, nec noctis tempore, nisi cogente necessitatis euentu, audiat confessiones Mulierum, & Puerorum: quos si contigerit infirmitate corporis laborare domum illorum adeat, ibique peccatorum narratione percepta, absolutionem impendat; interim semper ianuæ cubiculi pateant, ita vt Pœnitens, & Sacerdos possint ab alijs inspici, non autem audiri.

16 Confessarius, qui domum ægrotantis adiuit, eique Sacramentum pœnitentiæ ministrauit, scripturam propria manu conficiat, qua se Confessionem audiuisse testetur, illamque relinquat tradendam Parocho, sub pœna suspensionis à Confessionibus audiendis, ex Decreto Sacræ Congregationis Episcoporum.

17 Fideles à Parochis moneantur, vt cùm aliqua corporis infirmitate vexantur, cùm præuident grauius imminere periculum, cùm iter arduum sunt facturi, cum negotium aliquod magni ponderis moliuntur, cum aeris intemperie, febribusque pestilentibus infestantur, cùm mulieres sunt proximè pariture, confessione præmissa, suorum peccatorum absolutionem obtineant; & gratia celesti recepta, Diuinam misericordiam deprecentur.

18 Sedes Confessionalis non constituatur in loco Ecclesiæ occultiori, sed in adstantium proferatur aspectum. Habeat inter Pœnitentem, & Confessarium fenestellam, quæ non solum ambulatorio, seu versatili tegumento, verum eti-

am

am ſtannea lamina muniatur, anguſtioribus foraminibus terebrata. Et quia Confeſſarius caſus habere debet in promptu, à quibus non poteſt abſoluere Pœnitentem, niſi poſt ſpecialem facultatem obtentam: ideo fixam in eadem ſede retineat Bullam in die Cœnæ Domini legi ſolitam, & notulam peccatorum, quorum abſolutionem Nobis in pręſenti Synodo reſeruamus. Vbi autem Pœnitentes prouoluntur in genua, ibi affigatur imago Ieſu Chriſti liberatoris.

19 Ex antiqua Eccleſiæ Catholicæ diſciplina ad peccandi libidinem reprimendam, & ad occurrendum humanæ temeritati, ſeligunt Epiſcopi grauiora quædam, atque atrociora delicta, ſibique illorum abſolutionem cognitionemque reſeruant: vt Peccatores, quò ſe ſtrictioribus vinculis viderint cœrceri, eò magis ſapiant, vt Culpę grauitatem agnoſcant. Hoc igitur inſtitutum temporis diuturnitate probatum, Nos ſequi volentes, aliquos Cauſus excipimus, à quibus abſoluere extra mortis articulum nulli Confeſſario, liceat in Noſtra Ciuitate, aut Diœceſi, quamuis à noſtra iuriſdictione ſe putet exemptum, niſi poſt facultatem obtentam ſpeciatim à Nobis, aut Noſtro Geneli Vicario concedendam. Sunt autem infraſcripti.

Caſus Reſeruati.

1 Blaſphemia hæreticalis ſi proferens ſciat hæreticalem eſſe.

2 Maleficia, Veneficia, Incantationes, Sortilegia, & quæcunque alia Superſtitio cum expreſſa, ſeu tacita Dæmo-

monum inuocatione. Sacramentorum, & sacramentalium abusus.

3 Homicidium voluntarium, & mandatum ad illud etiam effectu non secuto.

4 Procuratio abortus etiam fœtus inanimati, eiusque mandatum, vel consilium.

5 Bestialitas, & peccatum nefandum cum vtroque sexu.

6 Incestus in primo, ac secundo gradu consanguinitatis, & in primo affinitatis, ac in cognatione spirituali.

7 Copula carnalis inter sponsum, & sponsam de futuro.

8 Percussio Parentum.

9 Allocutio cum Monialibus de rebus obscænis, & ad easdem transmissio litterarum, vel nuncij ob malum finem.

10 Damnum alteri iniuriosè illatum in arboribus fructiferis, satis, & vitibus vltra valorem iuliorum decem.

Habentes copulam carnalem cum Confessario, vel committentes delictum cum eiusdem Confessarij associatione, vel participatione ab eodem nequeant absolui.

De Sacramento Eucharistiæ
Titulus V.

1 SAcramentum Eucharistiæ, quod non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur Redemptoris, est cibus, qui recreat animam, est Christus, cuius carne vescimur, cuius sanguinem potamus. Sed qui discumbit, & Pa-

Panem Sanctum attingit, conſcientiam habeat nullius ſceleris fœditate pollutam: nè fiat medicina venenum, & vitio ſumentis occidat.

2 Tabernaculum, in quo Sanctiſſima Euchariſtia eſt aſſeruanda, ex ligno, aut ex alia præſtantiori materia conſtruatur; auro liniatur extrinſecus, & ſerico apparatu decoretur interiùs. Veſtiatur etiam extrinſecus conopeo, quod ſericum ſit, aut alterius materiei, iuxta loci, ſeu Eccleſiæ dignitatem. Muniatur Claue, quam ſub pœna ſcuti aurei mandamus eſſe argenteam; aut ſaltem inauratam, ac ligari ſerica ligula cum flocculo albi, ſeu rubei coloris, vti iam in noſtra Viſitatione præſcripſimus; neque in publico, ſed in ſecretiori, ac tutiori loco aſſeruari. Præterea prohibemus, Olea sacra Reliquias, aut quidquam aliud in hoc Tabernaculo, præter Euchariſtiam, reponi.

3 Altare, in quo Euchariſtia ſeruatur, accenſam lampadem habeat, & ſuperpoſita decoretur cumbella. Tantæ autem capacitatis exiſtat, vt Tabernaculum non impediat celebrantem.

4 Ineffabile Sacramentum cuſtodiatur in Pyxide argentea interiùs inaurata, quæ ſuo claudatur operculo, crucem paruulam ni ſummitate prǫferente. In prǫfata Pyxide quinque ad minus particulæ; plures autem, ſi populus numeroſus fuerit, aſſeruentur. Imò æſtiuo tempore, octauo quoque die; hyemali verò, decimo quinto quoque die, conſumptis vetuſtioribus, ſubſtituantur aliæ recentiores.

5 Sacerdos, qui Sacramentum Euchariſtiæ fidelibus adminiſtrat Particulas ex Pyxide, non ex Patena deſumat: ſæpiſſimè enim accidiſſe comperimus, vt ſuborto im-

prouiso aliquo turbine, aut emisso à Communicante suspirio, euolauerint fragmenta, & particulæ deciderint. Aliam quoque Pyxidem ex eadem materia, eademque figura constructam, sed paulò minorem, quilibet Parochus habeat, eaque vtatur, cùm Sacramentum deferre debet ad Infirmos.

6 Habeat etiam quælibet Ecclesia Parochialis pro Sanctissimo Sacramento solemniter per loca publica in processionibus deferendo Tabernaculum gestatorium, siue (vt vocant) ostensorium, ex argento, aut alia æris materia deaurata confectum, in quo se videndam exhibeat Eucharistia per aperta foramina crystallo munita. Lunula verò, quæ in huiusmodi Tabernaculo sustinet Eucharistiam, ex argento deaurato, exclusa alia humiliori materia, construatur; & ita fiat, vt si quæ fragmenta deciderint, possint facilè colligi.

7 Mulieres, Sanctissimam Eucharistiam in Ecclesia recepturæ, studeant potius cultui virtutum insistere, quàm crines pectere, tingere genas, vngere faciem, aut alia superflua ornamenta affectare. Ornent bonis operibus animam, quam Christus ingreditur. Incedant velato Capite, oculos non attollant; in gestu, & in incessu verecundiam retineant, nec quidquam peragant, quod cuiusquam offendat aspectum, aut bonis moribus aduersetur.

8 Sacerdos, qui Sanctissimam Eucharistiam extra missæ sacrificium fidelibus administrat superpelliceum deferat, & stolam adhibeat à Collo in longum protensam. Quòd si sacro peracto statim voluerit ministrare, Casulam non deponat, sed eadem indumenta retineat, quibus Missæ celebrationem absoluit.

9 Vt

9 Vt autem in diuini huius Sacramenti ministerio omnis vmbra, aut auaritiæ suspicio tollatur, Parochi, omnesque alij caueant, ne quid ab ijs, qui Eucharistiam sumunt, extorqueant, Prohibemus igitur, eo tempore, quo Sacerdos in Ecclesia fidelibus impertitur hoc ineffabile Sacramentum, bursas, seu Capsulas circumferri: nè qui ministrant, Christi Corpus alteri tradere recepto prętio videantur.

10 Adolescentes, qui adueniente ætate incipiunt esse doli capaces, si prima vice Eucharistiam sibi dari petierint, non nisi à proprio Parocho in ijs quæ ad fidem catholicam pertinent, instruantur: nec admittantur, nisi visi fuerint eo iudicio pollere, vt quid agant, intelligant. Parochi autem moneant, quos idoneos esse repererint, vt deinceps Ecclesiasticum præceptum adimpleant sumendi Eucharistiam saltem in Paschate.

11 Si quis eorum, qui communicare tenentur in Paschate, ausus fuerit hoc præceptum non adimplere, Nobis, aut Nostro Generali Vicario denuncietur à Parocho, vt iuxta Constitutionem Concilij Lateranensis sub Innocentio Tertio, viuens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Ecclesiastica careat Sepultura.

12 Parochus die Paschatis, antequam incipiat in Ecclesia ministrare, populum moneat, vt qui sunt adscripti alterius Parochiæ, statim discedere debeant, Eucharistiam à Proprio Parocho recepturi. Si verò fuerint aduenæ, aut vagi, qui certo domicilio carent, non dimittantur, sed Parochus Sacra Communione reficiat, quos ritè paratos inuenerit.

13 Qui ministrare debet Infirmo, Parochus cum superpelliceo, stola, & albo Pluuiali procedat, vmbellam, seu baldachinum nudato capite subeat, ac superimposito mundo velamine, quod ab humeris defluat, Pyxidem contegat. Progrediatur submissis oculis, & modestus, Psalmum Miserere, aut alios Psalmos, & cantica recitens. Nunquam autem noctis tempore deferat, nisi casu necessitatis instante.

14 Parochus Eucharistiam ministraturus infirmo, priùs domum illius adeat, & sedulò scire procuret, an qui in lecto decumbit, furijs agitetur, vomitum patiatur, aut alia indispositione vexetur, quæ Eucharistiæ sumptionem impediat. Atque in hoc casu ad irreuerentiam vitandam, quæ Sacramento posset inferri, Parochus abstineat ministrare, illudque asportare, vt solum ab ægrotantibus adoretur, ex Decreto B. Pij Quinti, & Sacræ Congregationis.

15 Sacerdos caueat, nè Sanctum Canibus porrigat, & in sterquilinium proijciat Margaritas. Eijciat igitur, quos publicè indignos esse repererit, & nouerit sine vestibus nuptialibus intrauisse; cuiusmodi sunt Excommunicati, interdicti, Concubinarij, Meretrices, Blasphemantes, Sortilegi, Fœneratores, artem magicam exercentes, alijque notorij peccatores. Sed si publica pœnitentia præcedente, ab his criminibus, & excessibus recesserint, inter alios, quibus Panis huiusmodi frangitur, admittantur.

16 Nemo audeat Eucharistiam publicè adorandam exponere sine Nostra, aut Vicarij nostri licentia, etiam si fuerint Regulares, ex decreto Sacræ Congregationis rituum, & Concilij. Præterea sub pœna decem scutorum prohibemus, nè quis Parochus, aut alius Sacerdos audeat quauis

uis occasione Sacramentum hoc publicè venerandum exponere, aut in processionibus deferre in Pyxide: In his enim casibus adhibendum est semper ostensorium. Sed pietate alicuius instante, aut aliquo graui emergente negotio liceat Tabernaculi ostiolum aperire, ibique debitis adhibitis luminaribus Pyxidem sistere, velo superimposito coopertam, ex Decreto Sacræ Congregationis.

17 Qui obtenta licentia orationem quadraginta horarum instituit, ornet Ecclesiam decenti apparatu. In altari, in quo Sacramentum exponitur, plura luminaria, hoc est, saltem candelæ sex, & totidem lampades ardeant. Clericus superpelliceo indutus assistat, & duo cum Saccis Confraternitatis intersint. Sed Sacramentum, quod publicæ adorationi exhibetur, superueniente noctis tempore reponatur.

18 Atque, vt singulis annis diuinum huius Sacramenti mysterium in memoriam reuocemus, & pro cælesti Pane recepto, qui gratiarum actio nuncupatur, debitas Deo gratias exoluamus: Pia Mater Ecclesia solemnitatem instituit Sanctissimi Corporis Christi, in qua fideles tanti beneficij memores celebrant Hostiam Sacrosanctam, & Victimam impollutam. Studeat igitur Parochus Populum admonere, vt omnes ea die, quæ huic festiuitati dicatur, singulis annis, criminum expiatione præmissa, Eucharistiam magna cum veneratione, ac Sanctitate recipiant; & tota octaua durante, recitationi Diuinorum officiorum intersint, vt eas indulgentias consequantur, quas Vrbanus Quartus, Martinus Quintus, Clemens Quintus, Eugenius Quartus Summi Pontifices concesserunt.

19. Singulis annis, festiuitate Corporis Christi recurrente, per vias, & loca publica, & insigniora hoc Sacramentum deferatur, sit autem ille, qui defert, in maiori dignitate constitutus, quo impedito, alius, qui sequitur dignior, assumatur.

20 Sepulchrum in omnibus Ecclesijs Parochialibus ex ritu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ singulis annis feria Quinta in Cœna Domini honorificè est pręparandum, ibique vsque ad sequentem diem, accensis pluribus luminaribus, seruanda est Eucharistia. Hæc autem non in Tabernaculo gestatorio, sed in Sacro Calice recondatur, tanquam in apertiori typo Dominicæ Sepulturæ. Semper adsint, qui Sacramentum custodiant, præsertim noctis tempore adueniente.

De Sacrificio Missæ.

Titulus VI.

1 SAcrosanctum Sacrificium, quod pro viuis, & defunctis offerunt quotidie Sacerdotes, est etiam tutissimum in quacumque calamitate perfugium. Ideo si sęuiat in homines, aut in pecora pestilentia; si Ciuitas seditionum turbine conuoluatur; si fluuius superatis obicibus, erumpat, & inundationibus intumescat; si fames vbique grassetur; si fruges tempestatibus vexentur, aut exustionibus inarescant: statim Sacerdotes Deo Sacrificium oblaturi confugiant ad Altarę, pro peccatoribus orent, & ictum diuinę indignationis auertant.

2 Cu-

2 Curet Sacerdos, vt ſaltem ſingulis diebus Dominicis, & feſtis ſolemnioribus celebret, ſi curam habuerit animarum, toties ſacrum peragat, quoties opus erit, vt muneri ſuo ſatisfaciat. Sed qui publicè, ac notoriè fuerit criminoſus, arceatur à ſacrificio peragendo, nec admittatur, niſi ſe reſipuiſſe morum emendatione docuerit.

3 Qui Miſſam celebrant, omnino Miſſale nouum adhibeant, iuſſu B. Pij Quinti ſummi Pontificis editum, & Clementis Octaui, aut Vrbani Octaui auctoritate recognitum. Pręſcriptas ibi cęremonias ſeruare teneantur ad vnguem, cùm nullus motus, aut geſtus, qui in Miſſę celebratione pręcipitur, ſuo careat myſterio.

4 Nullus omnino Sacerdos audeat primam, ſeu nouam Miſſam celebrare ſine Noſtra, aut Vicarij Noſtri Generalis licentia, quam nunquam obtinebit, niſi alicuius antiquioris Sacerdotis in ſacris cęremonijs, Miſſaliſque rubricis verſati fidem afferat, ſeſe in illis eſſe iam ſatis inſtructum.

5 Sacerdos, niſi Epiſcopali dignitate pręfulgeat, anulo non vtatur; nec indumenta ſacerdotalia ex altari deſumat, ſed ſacris veſtibus induatur in Sacriſtia, in qua ita ſibi illas accommodet, vt populum non ad riſum, ſed ad deuotionem alliciat. Quare ſi longior Alba defluxerit, contrahatur, donec ęqualiter ad talos vſque deſcendat. Indecens etiam videtur collare lineum dependere: propterea nullus Sacerdos illud ſibi detrahat, cùm ſacris veſtibus induitur.

6 Qui celebraturus progreditur ad Altare, neminem voce, aut capitis inclinatione ſalutet. Tecto capite gradiatur, Calicem ambabus manibus deferens: ſed ſi ante

Altare pertranseat, in quo publicę adorationi exposita sit Eucharistia, protinus vsque ad terram nudato capite genuflectat. Quòd si ausus fuerit sine birreto, e sacristia discedere, pœnam arbitrio Nostro iniungendam luat.

7 Tabella, quam secretarum Orationum vocant, si lacera, aut sordida fuerit renouetur. Qui autem celebrare præsumpserit in Altari, quod sit apparatu necessario spoliatum, & portatili careat, Nostro arbitrio puniatur.

8 Sacerdotes, dum missam celebrant, omnia legant ex libro; nec quidquam recitent memoria suggerente, quam experimur labilem, & infirmam.

9 Cùm non debeant in Altaris ministerio pueri inseruire pannosi, parùm morati, nudique à calceis incedentes: Parochus suum Clericum habeat, qui cum habitu, & tonsura celebranti ministret, & debitum prestet Ecclesiæ famulatum. Sed si propter prouentus, quos habet exiguos, nequeat mercedem illi congruam assignare: grammaticam, seu aliam disciplinam edoceat, & ministerium inseruientis docendo compenset; aut saltem laicum indutum sacco confraternitatis assumat.

10 Dum Missa peragitur, accendantur saltem duæ Candelæ, quæ sint congruę magnitudinis; nec extinguantur, nisi sacrum fuerit absolutum. Non e seuo, vel oleo, sed ex cera candidissima sint confectæ. Candelas autem obscuriores liceat adhiberi, si sacerdos pro Defunctis celebrare voluerit.

11 Orationes, quæ sunt secretò dicendæ, nunquam clara, & intelligibili voce proferantur: quas autem Sacerdos debèt altiùs recitare, clarè, & distinctè pronunciet.

12 Sa-

12 Sacerdos vltra consuetam eleemosynam aliquid aliud petere non præsumat, nec missas sibi ab alijs iniungendas exquirat. Nudato capite celebret: sed, si sanitatis gratia pileolo necesse habuerit vti, ab Apostolica Sede facultatem obtineat.

13 Qui missam audiunt, certum sibi locum eligant, nec discedant, nisi sacrificio absoluto. Masculi à Mulieribus separentu; nec vasis aquæ benedictæ, aut Sacris Altaribus innitantur.

14 Illis diebus, in quibus ex missalis Romani præscripto duæ missæ occurrerint celebrandę, vtraque debito tempore cantetur. Sed die festo missa cantata durante, nullus in Ecclesia Cathedrali sacrum peragat, nisi post eandem missam absolutam, & benedictionem de more collatam. Quod si aliter fieri Sacrista permiserit, pœnam Nostro arbitrio imponendam incurrat.

15 Domini sedulò curent, vt Serui, Pastores, Bubulci, alijque de familia singulis festiuis diebus liberam audiendi missam habeant facultatem. Quod si ipsi fuerint impedimento, sciant, se strictissimam Deo reddituros esse rationem.

16 Qui sunt nominatim excommunicati, vel interdicti, tempore Diuinorum officiorum, ab Ecclesia iuxta Sacros Canones expellantur; aut si missa incepta fuerit, nec Canon inchoatus, Sacerdos ijs præsentibus celebrare desistat.

17 Inter Missarum solemnia Sacerdotes Edicta sæcularia, aut alia eiusdem generis non diuulgent: nè ij, qui tanquam Diuini Verbi Præcones enunciare debent legis Euan-

gelicæ sanctiones, videantur officium Buccinatoris assumere, & Iudicibus sæcularibus inseruire.

18 Diebus Dominicis priùs in Ecclesia Parochiali, quàm in alijs celebretur: ne populus missæ Sacrificium auditurus ad alias Ecclesias diuertatur, proprium Parochum derelinquens, fidei rudimenta decentem, & dies festos indicentem intra proximè subsequentem hebdomadam occurrentes, nec non ieiunia ex ecclesiastico præcepto seruanda, publicas supplicationes, matrimoniorum denunciationes, aliaque similia promulgantem.

19 Sacerdotes, qui sunt alterius Diœcesis, & ignoti, seu vagi, non admittantur ad Sacrificium celebrandum, nisi prius comparuerint coram Nobis, vel Nostro Vicario Generali in Ciuitate, & coram Vicarijs Foraneis in Diœcesi, & Ordinarij sui testimoniales litteras exhibentes, celebrandi in scriptis obtinuerint facultatem.

20 Perpetua missarum onera describantur in tabella publicè in Sacrario affigenda, vt quæ ad notitiam deducuntur, nunquam memoria dilabantur.

21 Missæ, & officia Defunctorum, quæ in quacunque Ecclesia celebranda sunt, nunquam transferantur in alium diem ab eo, qui à Testatore fuit constitutus, nisi dies festus occurrerit, atque ab ipsis Testatoribus, aut Benefactoribus præscriptum fuerit, missas, quas vocant de Requiem, omnino celebrari, itaut aliarum missarum celebratione eorum voluntati minime satisfieri possit. Sedulò curent Sacerdotes, vt in diebus, atque altaribus præfixis exactè celebrent, sub pœna scuti vnius pro qualibet omissione, sacristiæ, aut fabricæ Ecclesiæ applicandi, præter stipendium ei Sacer-

doti

doti soluendum, qui defectus supplebit, & præter peccatum, quod negligentes admittent.

22 Vt omnis auaritiæ suspicio tollatur, in Sacerdotum memoriam reuocandam duximus declarationem Sacræ Congregationis Concilij, pro vna missa duplicem eleemosynam recipi non posse, neque sub prætextu applicationis illius fructus partis, quæ sacerdoti debetur, & quæ specialis nuncupatur. Vnde sequitur, nemini licere eleemosynam sumere pro applicatione missę Conuentualis, aut Parochialis.

23 Onera missarum perpetua sub quouis titulo, & in quacunque Ecclesia, aut altari sine nostra licentia nunquam recipiantur, sub pœna vigintiquinque scutorum pijs locis applicandorum, præter ipsius acceptationis nullitatem.

24 Dum missæ celebrantur, nemini liceat, nè ipsis quidem confratribus Confraternitatum, eleemosynas, per Ecclesiam quæstuare: sed ad ipsius Ecclesiæ ianuas sistant, ibique sine strepitu quęstuent.

25 Curandum est etiam, nè vno, eodemque tempore plures è sacristia ad celebrandas missas Sacerdotes exeant, nè alter alteri sit impedimento; atque, vt populi commodo consulatur. In Cathedrali autem Ecclesia Edictum de hac re nuper à Nobis editum prorsus obseruetur.

26 Decernimus, vt in nostra Diœcesi pro singulis missis priuatis soluatur nomine eleemosynę vnus Carolenus, qui dupplicetur pro missis cantatis. Nolumus tamen vt hęc constitutio liberalitati fidelium obstet, quominùs possint, si velint, maius stipendium erogare: Sed nostra intentio ea est, vt certus quidam limes Sacerdotum prętentioni pręfigatur, sine pręiudicio illorum, qui vigintiquinque ab hinc

annis sunt in possessione maioris eleemosynę recipiendę.

27 Si Sacerdos eas missas, quas celebrandas suscepit, alteri duxerit committendas, eidem integram eleemosynam, quam recepit impertiat.

28 Qui sacrum facere ex iniuncta obligatione tenentur, missas, quas celebrant successiuè, fideliter notent, & in libro describant, adiecto die, mense, & anno oneris adimpleti, nomię celebrantis, & illius, qui beneficium, cappellaniam, seu pium opus instituit. Hic autem liber diligentissimè alicuius custodię committatur, non adulteretur, nec admixtis falsitatibus vitietur, sub pœna excommunicationis statim incurrendę, & Nobis extra mortis articulum reseruatę.

29 Rectores quorumcumque beneficiorum, onus, quod habent adiunctum, adimpleant. Qui si segniores extiterint, & celebrare neglexerint, statim satisfacere saltem per alios opportuno iuris remedio compellantur.

30 Si dies festus occurrerit ex Ecclesiastico pręcepto seruandus, missa in Ecclesia Cathedrali solita decantari, non nisi adhibitis Diacono, & Subdiacono celebretur, qui sacris indumentis assumptis, debeant assistere, & ministrare.

De Sacramento Extremæ Vnctionis Titulus VII.

1 QVia non postremum Parochorum esse munus videtur ęgrotantium curam habere: idcirco di-

li-

ligenter ipsi studeant scire, an in sua Parochia quisquam ęgrotet, vt eum continuò visitare possint. Vbi ergo Parochi ægrotantibus suę curę commissis Pœnitentiæ, & Eucharistiæ sacramenta ministrauerint, si animaduerterint, euidens mortis periculum eis imminere, pijsque, ac efficacibus verbis eos hortentur ac disponant ad recipiendum etiam sacramentum extremæ vnctionis antequam à sensibus destituantur.

2 Cùm Parochus oleum Sanctum ad Infirmum defert, vnum saltem Clericum secum ducat, qui Crucem sine hasta gerat, Infirmo exhibendam, vt eam deosculetur, atque apud eum relinquendam, nisi ipsemet Infirmus aliquam apud se habeat. Cùm infirmi domum peruenerit, oleum sanctum super mensam in ipsius ægroti cubiculo decenter pręparatam collocet, neque à laicis tangi permittat. Deinde superpelliceo, ac stola violacei coloris indutus, generalem Confessionem ab ęgroto, aut ab alio ipsius nomine fieri iubeat, ac Sacramentum hoc deuotè, ac diligenter administret, seruatis omnibus, quę in Rituali Romano nuper edito pręscribuntur, & Adstantibus pro ipso Infirmo interim orantibus.

3 Ignorare non debent Parochi, hoc Sacramentum illis tantum esse administrandum, quibus ob naturalem infirmitatem, aut ob violentiam accepti vulneris mors impendet: non autem illis, qui quamuis proximè sint interimendi, quales sunt vltimo supplicio damnati, quique graui se vitę periculo obijciunt; nulla tamen corporis ęgritudine laborant; neque illis, qui nullum vnquam commiserunt, aut committere potuerunt peccatum, cuiusmodi sunt

Infantes, qui nondum rationis sunt compotes, amentes, & furiosi, qui tales à natiuitate semper extiterunt.

4 Diligenter aduertant, qui hoc Sacramentum ministrant, ne dum liniunt ea membra, quę sunt duplicata, seu paria, quales sunt oculi, aures, & huiusmodi alia, prius proferant omnia verba formæ, quam vtramque partem inunxerint. Partes autem vngendę, sunt, oculi, aures, nares, os, manus, pedes, & renes, seu lumbi. Manus laicorum interiùs, & sacerdotum exteriùs liniuntur. Lumborum vnctio propter honestatem semper omittitur in fœminis, atque etiam in illis viris, quibus commodè conferri non potest.

5 Iterare hoc Sacramentum in eadem infirmitate non licet: verùm si ęgrotus conualuerit, atque iterum superueniente noua infirmitate in mortis periculum inciderit, iterum sacro oleo muniri poterit; & quoties ob nouum morbum in eodem mortis periculo fuerit constitutus.

6 Si adsit periculum, nè Infirmus decedat, antequam præscriptæ preces absoluantur, omissis illis statim vngatur. Quòd si peracta vnctione, adhuc superuiuat, suppleantur omnia, quæ fuerant prętermissa. Si dum ægrotus vngitur, exhalat animam, reliqua omittantur: at si dubium sit, an viuat, vngatur sub conditione, si Viuis, per istam Sanctam vnctionem, &c. Imò si iam Instat Interitus, poterit Parochus vngere vnum duntaxat ex membris duplicatis, aut adiuuari etiam ab alio Sacerdote, qui diuersas partes liniat. Neque illis est denegandum hoc Sacramentum, qui in mortis discrimine positi, quamuis loqui non valeant, aliquod antea tamen contritionis signum exhibuerunt.

7 Ad vnamquamque vnctionem abstergendam nouus semper adhibeatur bombacij, aut stuppę globulus: ipsi autem globuli, ad abstergendum adhibiti, comburantur, eorumque cineres in Sacrarium proijciantur, in quod abijcienda est etiam aqua, & medulla panis, quas sacerdos adhibuit in digitis, aut manibus abluendis. Caueant autem omnino Sacerdotes, ne Sacrum hoc oleum extra Ecclesiam, præsertim in ægrotantium ædibus, relinquant; neque verò quacunque ex causa, aut prætextu partem illius vllam alijs tribuant, sub pœnis superiùs expressis, sed illud in Armariolo, aut fenestella recondant propre Altare maius in Cornu Euangelij constructa, claue munita, serico ornatu interiùs decorata, & exterius decenter exculta, cum hac inscriptione, Oleum Infirmorum: prout Nos in visitatione nostra mandauimus.

De Sacramento Ordinis

Titulus VIII.

1 QVi præsunt Reipublicæ, tantò priuatis hominibus eos esse meliores oportet, quanto magis honoribus, & dignitatibus antecellunt: imò nisi Ciuibus fuerint norma iustitiæ, & virtutis exemplar, decus non sustinent, neque consulunt multitudini. Pari ratione, qui ad sacros ordines promouentur, Christianæ Reipublicæ iura daturi, tales esse debent vt didicerint populo sanctè peresse, & dignitatem, quam Spiritus Sanctus instituit, sustinere:

re: nè qui tenuerunt excelsa, de sublimioribus corruant, maiora discrimina subituri.

2 Sed quia prò qualitate meritorum quilibet ad altiora prouehitur, ad recipiendos sacros ordines assumantur, qui morum probitate, ac Sanctitate conspicui ritè valeant sanctum tractare mysterium, & administratione sacrorum onus subire angelicis humeris formidandum.

3 Sacerdos, qui subspecie sanctitatis delinquit, subditis laxat fręna luxurię, & culpam in exemplum vehementer extendit. Ideo nemo accedere audeat ad ordines, qui vitiorum sordibus inuolutus nesciat mores, vitamque componere, & de se certa probitatis documenta prębere.

4 Qui ad primam tonsuram promoueri desiderat, per quindecim saltem dies ante ordinationem habendam coram Nobis compareat demonstraturus hoc vitæ genus elegisse, vt Deo fidelem cultum pręstet, & tam hic, quam qui in minoribus ordinibus constitutus, ad alios pariter minores ordines ascendere cupit non promouebitur in futurum, nisi fide exhibita proprij Parochi denunciationis factę iuxta formam inferiùs tradendam; insuper fidem ferat se Confirmationis sacramentum recepisse; nec non litteris testimonialibus Parochi doceat, se scire catholicæ fidei rudimenta, legitimo matrimonio esse genitum, septimum iam annum compleuisse; & morum integritate, ac Sacramentorum frequentia, optimum de se specimen prębuisse.

5 Nemo ad recipiendos sacros ordines admittatur, qui prius à Parocho non fuerit in Ecclesia Parochiali die festo inter missarum solemnia proclamatus. Imò Parochus populum moneat, vnumquemque teneri impedimenta dete-

gere, quibus sciuerit, aliquem ex promouendis ad ordines irretiri: videlicet, si nulla dispensatione obtenta, fuerit initiatus, interstitijs non seruatis, si grauioris publicique delicti labe sordescat; si prauis moribus sit imbutus; si non sit liber, nec de legitimis nuptijs procreatus, nec in ętate legitima constitutus; si sæcularibus negotijs inuoluatur; si ad reddenda ratiocinia teneatur; si fuerit irregularis vel ex eo, quia sanguinis sententiam tulerit, vel ferri curauerit; si caduco morbo laboret; si sit percussor, rixorsus, bigamus, abstemius, furiosus, simoniacus, homicida, periurus, excommunicatus, suspensus, interdictus, vsurarius, ebrius, gulę, aut luxurię deditus, corpore vitiatus; si beneficium, ad cuius titulum promouetur, non sit ab ipso pacificè possessum, aut redditus habeat adeo tenues, vt nullo modo pro illius vitæ substentatione sufficiant; si patrimonium sit ære alieno grauatum, insufficiens, fictum, aut simulatum; siue quid aliud simile.

6 Sed quia aliquando contingit, non nullos ad primam tonsuram promoueri, non vt ecclesiasticæ militiæ adscripti fidelem Deo exhibeant famulatum, sed potiùs ad fugiendum iudicium sæculare, & ad pœnam pro patrato crimine sibi debitam euitandam: ideo nemo promouendus accedat, qui alicuius delicti reus existat, à seculari Iudice puniendus.

7 Cùm ex Concilij Tridentini præscripto nemo debeat ordinari, qui iudicio sui Episcopi non sit vtilis, aut necessarius suæ Ecclesiæ: ideo, qui prima tonsura accepta adscribuntur militiæ clericali, alicuius Ecclesiæ famulatui præponatur; Ecclesiam autem, quę pro exercendis ordi-

nibus vnicuique præſcribitur, deſerere, aut aliam Nobis in conſultis eligere nemo prçſumat.

8 Ad vlteriores ordines promouendi fidem ordinis proximè ſuſcepti ſecum ferant, & litteris teſtimonialibus Parochi doceant, ſe Eccleſiç, cui ſunt adſcripti, debitum ſeruitium præſtitiſſe, iuxta ſuſceptos ordines miniſtraſſe, in tonſura, & habitu clericali inceſſiſſe, ſacramentum Pœnitentiæ frequentaſſe, ſçpiùs Euchariſtiam cum deuotione ſumpſiſſe, Doctrinam Chriſtianam ſuis temporibus in Eccleſia docuiſſe, & Conferentiæ caſuum conſcientiæ interfuiſſe.

9 Indecens eſt, Clericum victum quçrere, & cum ſui ſtatus dedecore mendicare. Igitur ad Subdiaconatus ordinem prouehendus, beneficium, ſeu penſionem, aut patrimonium habeat, ex quo poſſit commodè viuere: imò initiari non poterit, niſi prius Nobis de huiuſmodi beneficio, penſione, ſeu patrimonio pacificè poſſeſſo conſtiterit.

10 Patrimonium non debet eſſe ſimulatum, & fictum, vel cum pacto de non petendo, aut non adeundo conceptum: ſed verum, reale, & nulli alteri obligatum. Et ſi quis ſub patrimonio aliter conſtituto fraudulenter obtinuerit promoueri, prçter periurij pœnas, tandiu à ſuſceptis ordinibus ſit ſuſpenſus, quandiù à Nobis abſolutionem meruerit obtinere. Qui autem patrimonium huiuſmodi conſtituere auſi fuerint prçſcripta à Nobis formula non ſeruata, excommunicationis latç ſententiç pœnam incurrant, & ad promiſſa teneantur, ac ſi nullis appoſitis illicitis pactionibus, ac ſimulationibus promiſiſſent. Quare præcipimus,

mus, vt is, qui patrimonium constituit, siue Consanguineus, siue quicunque alius ille sit, iuret, eiusdem patrimonij donationem esse veram, & non fictam; & renunciet cuiuis pacto, aut conuentioni, quam cum Clerico fecerit, aut facere potuerit de non percipiendis fructibus, etiam causa gratitudinis, & cuicunque alteri conditioni, que directè, vel indirectè patrimonij vsum eidem Clerico impedire possit; idque ita esse iurare teneatur etiam ipse Clericus donatarius: quę deinde iuramenta à Notario stipulante in instrumento donationis inserantur. Volumus insuper, vt Noster Vicarius Generalis, & Cancellarius in ipso iurandi actu pœnas superiùs expressas iurantibus exponant: quam expositionem, ac declarationem esse factam idem Cancellarius in oedem Instrumento publicè testetur.

11 Qui cum patrimonio sibi constituto ad Subdiaconatus, ordinem est promotus, bona sibi assignata non audeat alteri retrocedere, seu quocunque alio modo alienare: imò hoc se nunquam facturum in ipsamet instrumenti celebratione iure iurando promittat, nisi priùs beneficium, pensionem, aut alia bona acquisierit, quorum annuus reditus detracta portione colonica, sit scutorum vigintiquinque; & in hoc casu prius à Nobis licentiam obtineat. Quòd si bona in patrimonium assignata contra formam Nostrarum Constitutionum vendita fuerint, aut quocunque alio modo alienata, volumus, ac declaramus venditionem huiusmodi, seu alienationem irritam esse, & nullius valoris.

12 Pueri non sunt ad sacros ordines assumendi, nè (vt ait Diuus Gregorius) tantò periculosiùs cadant, quantò citiùs conscendere ad altiora festinant: sed pro singulis

ſacris ordinibus conſequendis ætas illa, quæ ex Concilio Tridentino præſcribitur, impleatur; videlicet: annus vigeſimus ſecundus attingatur pro Subdiaconatu, vigeſimus tertius pro Diaconatu, & vigeſimus quintus pro Preſbyteratu: vt quò proue&ioris ætatis initiandus efficitur, eò progrediatur vlteriùs, & ad gradus altiores aſcendat.

13. Qui non eſt Clericus, clericalem habitum non aſſumat, nec Eccleſiæ tanquam initiatus inſeruiat. Si quis autem auſus fuerit deferre ſuperpelliceum in Eccleſia, nullo recepto priùs alicuius ordinis, ſeu primę tonſurę caractere, pœna carceris puniatur.

14 Qui coram Nobis comparuerint initiandi, ſe ipſos exhibeant ſufficienti literatura pollentes, quam eò maiorem habeant, quò ad altiores ordines fuerint promouendi: imò nullatenus admittantur, niſi priùs examini ſe ſubiecerint, in quo nullius auctoritate perſonæ vacillabit, aut inclinabitur libra iuſtitiæ, & ad vniuſcuiuſque meritum ponderandum exactiſſima erit trutina iudicantis.

15 Clerici noſtrę Diœceſis, qui obtentis dimiſſorialibus litteris extra eandem Diœceſim ordinem aliquem ſuſceperint, infra menſem teneantur omninò curare, vt teſtimoniales ſic ſuſcepti ordinis litteræ in Noſtra Cancellaria regiſtrentur. Qui ſecus fecerint ab exercitio ordinis tandiu, quandiù Nobis videbitur, ſint ſuſpenſi.

De

De Sacramento Matrimonij Titulus IX.

1 LIbido, quę est ſicaria caſtitatis, & nutricula vitiorum, habet fraudem, quam abſcondit, & inſidias, quas machinatur: vnde à virtute declinant, qui voluptati ſuccumbunt, & ſub offendiculis implicantur. Deprauata ergo cupiditas ſancto eſt cœrcenda connubio, vt turpitudine vitioſitatis excluſa, foueat vinculum coniugale, & ad honeſtatem propagandę ſobolis redigatur.

2 Coniuges ſe mutuò pro coniugali fide ſuſtineant, & qui audit iniuriam ſibi verbis inferri, potiùs tacendo toleret, quàm ſuperet reſpondendo. Nemo præterea à coniugali congreſſu contra alterius coniugis voluntatem abſtineat, nè alter alteri tribuat fornicandi licentiam; & peccatum, quod vnius fragilitate committitur, abſtinentię alterius imputetur. Sed occurrentibus per annum orationibus publicis, ſolęmnitatibus, ac ieiunijs, aut ſi poſtridie ſit ſumenda Euchariſtia, vt mentem ad Deum maiori deuotionis feruore conuertant, ſtudeant pro viribus abſtinere.

3 Antequam Matrimonium contrahatur, tres denunciationes in Eccleſia faciendę à Parocho tribus diebus feſtiuis inter miſſarum ſolemnia pręmittantur, vt ſi aliquod lateat impedimentum, ab eo, cui notum fuerit, detegatur. Quòd ſi tribus denunciationibus factis, nullum innoteſcet legitimum impedimentum, ad celebrationem matrimonij pro-

procedatur. Sed si secus euenerit, Parochus nos adire, aut certiores facere teneatur: interim abstineat ad vlteriora procedere, donec audiuerit quidquid fuerit à Nobis cum causæ cognitione decisum. Prædictæ autem denunciationes faciendæ sunt festis non continuatis, sed ita interpolatis, vt duo saltem dies interponantur; neque ob vllam quantumuis grauem causam sine Nostra, aut Vicarij nostri Generalis licentia in scriptis obtinenda prętermittendę, aut minuendę sunt. Prohibemus etiam, ne eodem die, quo postrema denunciatio facta est, matrimonium celębretur, nisi aliter Nobis, vel Vicario nostro Generali visum fuerit. Quòd si aliquod impedimentum detegatur, quamuis de ipsius veritate dubitetur, caueat tamen Parochus, nè interim vlterius procedat, nisi Nos prius certiores fecerit, nostramque deliberationem audierit, sub pœna vigintiquinque scutorum.

4 Tres illæ denunciationes ex decreto Concilij Tridentini matrimonio præmittendę, non prius fiant, quàm Parochus contrahentium explorauerit voluntatem. Cauendum est autem, nè hæc exploratio coram Sponso, & Sponsa simul fiat: non modo vt maior illis libertas tribuatur, verum etiam vt euitetur periculum, ne Contrahentes aliqua verba coram Parocho, & testibus proferendo, quæ mutuum consensum indicent, eo ipso tempore, & locò matrimonium contrahant. Quòd si fuerint diuersę Parochię, ab vnoquoque Parocho consensus coniugis suæ Parochię exigatur, & fides pręstiti consensus, priusquam matrimonium in Ecclesia promulgetur, alteri Parocho ab altero transmittatur. Diligenter etiam scire studeant Paro-

chi,

chi, an qui contrahere volunt ad legitimam ætatem peruenerint; videlicet, an masculus quartumdecimum, & fœmina duodecimum ętatis annum compleuerint; num anno illo præceptum Ecclesiasticum de communicando in Paschate sint exequuti; num necessaria fidei rudimenta didicerint, an aliquod inter ipsos adsit Canonicum impedimentum.

5 Si matrimonium inter exteros celebretur, Parochus ad denunciationes non audeat deuenire, nisi prius per legitimas testium depositiones de libero contrahentium statu constiterit, & fuerint alia executioni demandata, quæ Sacra Congregatio supremæ Inquisitionis iniunxit.

6 Parochi librum habeant, illumque apud se diligenter accuratèque custodiant, in quo distinctè nomina, cognomina, & patria coniugum, & testium ad hibitorum, nec non locus, dies, & annus contracti matrimonij describantur, sub pœna quinquaginta scutorum, quæ pijs locis applicabuntur.

7 Atque vt ea præcaueantur, quæ interdum, & ob humanam fragilitatem, & ob Demonis suggestiones inter Sponsum, & Sponsam de futuro contra pudicitiam, & non sine iniuria contrahendi matrimonij committi possunt, laudabile, atque vtile esse censemus, vt quam primùm post completas denunciationes matrimonium per verba de præsenti celebretur. Itaque Parochus efficacibus verbis, ac rationibus ipsos contrahentes, vt id præstent, adhortetur. At si post habitas denunciationes celebratio matrimonij vltra mensem protrahetur, mandamus, vt tres aliæ denunciationes habeantur, nisi aliter nos putabimus expedire. Contra-

trahentes verò, qui ante initum, celebratumque matrimonium in eadem domo manere ausi fuerint, pœna carceris mulctabuntur.

8 Nemo audeat ad matrimonium impediendum studiosè falsa impedimenta detegere, & mendacia machinari. Qui secus fecerit, pœnas à Iure pręscriptas, & excommunicationem incurrat.

9 Nuptię initę inter eos, qui in gradu prohibito consanguinitatis, vel affinitatis iunguntur, quantò sunt vetustiores necessitate cogente, tantò postea factæ sunt detestabiliores legę reclamante. Ideo qui nuptias huiusmodi malitiosè contraxerint, excommunicationis gladio feriantur; & ex dispositione Sacri Concilij Tridentini omni spe careant dispensationis consequendæ: quemadmodum eadem excommunicatione innodantur, qui quouis modo directè, vel indirectè vim contrahentibus inferunt, & eorum consensum, cum violentia in præiudicium libertatis extorquent. Vt autem huius rei quę maximi interest, plenior notitia ab omnibus habeatur: Parochi moneant proximè contracturos; vt si se nouerit impedimentum consanguinitatis, seu affinitatis habere, statim procedere ad vlteriora desistant, nec patiantur excommunicationis vinculo implicari.

10 Coniuges studeant in vinculo pacis seruare concordiam, & tanquam expressiorem formam conuersationis Angelicæ socialem custodiant vnitatem. Simul habitent; & qui duo in vna Carne figurantur, vnum foueant mentis affectum, vnam retineant voluntatem. Quòd si Parochus animaduerterit coniuges in diuersis domibus habitare,

tare, ac diabolico spiritu ductos, propria temeritate se se inuicem separasse, det operam, vt mutuò in gratiam redeant, & iussu Nostro ad cohabitandum in eadem domo, nisi aliqua legitima causa aliter exigat, compellat.

11 Parochi diligenter obseruent, quos viderint ad suas Parochias vagos, aut exteros aduenire; ac sedulò indagent, an mulieres, quæ ducuntur, vxores sint, an sub ficta matrimonij specie concubinæ. Igitur exigant ab eis legitimi matrimonij fidem: quam si animaduerterint esse vitiosam, seu in aliqua solemnitate deficere, statim ad Nos, aut nostrum Vicarium Generalem deferant, vt quid agendum sit maturiùs deliberare possimus.

12 Parochus populum sibi subiectum admoneat, vt inter matrimonium contrahendum à ridiculis iocis abstineat, & in traductione Sponsarum nemo audeat scurriles ineptias verborum obscœnitatibus admiscere. Desinant Coniuges sumptuosa præparare conuiuia, & ad inanem gloriam consequendam, pretiosis, & elegantibus incedere vestibus, vt modestiam, quæ Christianos decet, exhibeant, ac de medio tollant, exteriori superfluitate vitata, interioris vanitatis indicium.

13 Coniux, qui propter alterius coniugis diuturnam absentiam iustat ad nouum transire coniugium, non admittatur à Parocho ad matrimonium contrahendum, nisi prius coram Nobis, vel nostro Vicario Generali ex depositione duorum testium de absentis morte constiterit.

14 Quamuis matrimonia validè à filijs contrahantur Parentibus inconsultis: tamen videtur ordo naturalis exigere, vt Parentum consensus præueniat propter obsequium

ijſdem Genitoribus debitum. Ideo Parochus filios admoneat, quos nouerit Parentibus diſſentientibus contracturos, vt ijs, à quibus vitam receperunt, propriam ſubijciant voluntatem. Inſuper ipſos etiam Parentes hortetur, vt erga filios ſe potius indulgentes, quàm nimiùm ſeueros exhibeant. Nam ſicut imprudentis eſt concedere filio, quod filium facit ad vitia proniorem: ita incauti Parentis eſt filio denegare, quod eum à criminibus committendis auertat.

De Oleis Sanctis.

Titulus. X.

1 EXigit diuini cultus religioſa deuotio, vt Olea Sancta, quibus fideles diſponuntur ad luctam, & contra infeſtiſſimos Dæmones muniuntur, quàm maxima diligentia, ac veneratione ſeruentur, nè humanæ infirmitatis vnguenta, quibus Chriſti Redemptoris vulnera contulerunt ſanctitatem, temerè contemnatur, & cum religionis dedeco re negligantur.

2 Singulis annis feria Quinta in Cœna Domini Clerici in Sacris ordinibus conſtituti, etiam qui curam animarum exercent, hora decimaquinta debeant in ſufficienti numero omnino conuenire in Sacriſtiam noſtræ Cathedralis, vt induti ſacris veſtibus iuxta eorum ordines aſſumendis, benedictionibus ſacrorum Oleorum aſſiſtant, & miniſtrent, ſeruata formula in Pontificali Romano præſcripta. Qui moniti fuerint pareant; nec patiantur contra ipſos ad duriora remedia deueniri.

3 Qui

3 Qui in Diœcesi curam animarum exercent prædicta die, quæ est feria Quinta in Cœna Domini conueniant ad Ecclesiam Cathedralem, argentea aut stannea vascula deferentes, vt noua Olea Sancta ab eo, qui præest distributióni, recipiant. Quòd si ipsi aliquo impedimento detenti venire non possint, Clericum in sacris ordinibus constitutum transmittant, & in hoc negotio vti opera laicorum abstineant.

4 Parochus, receptis nouis Oleis, vetera, quæ remanserunt, non patiatur in manus alterius deuenire, seu in vsus profanos, & superstitiosos, aut sacrilegos adhiberi, sub pœnis grauissimis infligendis: sed confestim comburat cum bombacio, cineresque in Sacrarium abijciat. Sed si quis ausus fuerit baptismum, aut extremam vnctionem veteribus oleis ministrare; grauiter punietur.

5 Parochus Ecclesiæ Cathedralis, cui incumbit onus distribuendi Olea Sancta Curatis nostræ Diœcesis, librum conficiat pro eorum nominibus describendis, qui olea Sancta recipiunt; & tam qui mandant, quàm qui iussu alterius veniunt adnotentur; imò adiecto die, mense, & anno designetur Ecclesia, ad quam Olea sunt transferenda.



SESSIO TERTIA

De Dignitatibus, & Canonicis.

Titulus I.

1 QVemadmodum nihil Nobis optatius esse potest, quàm vt Ecclesiasticus ordo quouis virtutum genere sit ornatus: ita nihil gratius potest accidere, quàm si viderimus eos, qui aliquo gradu alijs pręstant, præclarum eisdem laudabilis vitæ exemplum exhibere. Illi ergo, qui in Nostra Cathedrali Ecclesia Dignitates adepti sunt, vel in posterum adipiscentur, sic suos mores componant, vt ab ipsis inferiores verum Ecclesiasticę disciplinę documentum percipiant.

2 Capitulum Canonicorum iussu illius, qui est dignior, toties conuocetur, quoties aliqua necessitas, aut vtilitas Ecclesiæ suadebit: ita tamen, vt biduo ante ad notitiam illorum, qui interesse debent, per sacristam Cathedralis Ecclesiæ deducatur. Sed si casus inopinatus emerserit, ita vt Capitulum vlteriùs differri non possit, omni meliori modo curetur, vt statim conueniens Canonicorum numerus colligatur. Qualibet autem feria sexta, vel quolibet die festo occurrente ex præcepto seruando, & eo tempore, quo Diuina officia recitantur, conuocari Capitula prohibemus.

3 Cùm aliquando Canonici, qui pro habendis reso-

lu-

lutionibus conuocantur, accedere, atque interuenire non curent: propterea monemus eosdem, vt Capitulis, quibus interesse tenentur, assistant, nec discendant, nisi absolutis omnibus peragendis. Si secus fecerint, Decanus, aut qui pręest dignior, moneant, & iussu nostro obedire compellat, quos animaduerterit temerè dissentire.

4 Cùm lingua debeat in publicis congressibus omni moderatione custodiri, nè laxata labatur, aut retenta torpescat: Canonici ad habendas determinationes conuocati sententias dicant libra Iustitiæ examinatas; seruent modum in verbis, & pondus in sermone retineant. Nemo loquentem interrumpat; & cùm vnus consulationem habet, cæteri Ecclesiæ vtiliora deliberent. Sed si lingua nimia loquendi libertate in conuicia relaxetur, pœnis à Iure pręscriptis, & Nostro arbitrio imponendis subiaceat, qui occasionem dederit iurgiorum.

5 Suo quisque loco modestissimè sedeat: quòd si quis iniuriosa, aut contumeliosa proferre verba ausus fuerit, pręter pœnas à Iure sancitas, decem etiam scutorum pœna mulctabitur, quę Sacristię applicata esse volumus; & per annum Capitulum ingredi, eique interesse prohibeatur.

6 Vt quæ proponuntur, feliciorem habeant exitum, Dei auxilium in primis est implorandum. Priùs igitur, quàm Capitulum inchoetur, Oratio saltem de Spiritu Sancto præmittenda erit. Si quis autem discedere, antequam gratiæ Deo actæ sint, ausus fuerit, tanquam absens habebitur.

7 Nullus Canonicus officium, ad quod maiori suffragiorum parte fuerit electus, recusare possit, sub pœna scuto-

torum quindecim Sacristiæ applicandorum, nisi legitimum habuerit impedimentum, ab ipso Capitulo per secreta suffragia approbandum: Decanum autem ratione suæ Dignitatis, & Archipręsbyterum respectu curę animarum, quam habet, ab onere exercendi officia Camerarij, ac maioris Sacristię eximimus, & liberamus.

8 Quidquid in Capitulo constituendum erit, secretis committatur votis, sub pœna nullitatis: & quilibet Canonicus, qui interfuerit, & constitutionibus aliter factis assensum prestiterit, quinque scutorum, vt supra, applicandorum pœnam luat.

9 Cùm agitur de aliquo negotio, quod ad aliquem Canonicum quouis modo pertineat, idem Canonicus ex Capitulo egredi teneatur, sub pœna nullitatis, alijsque nostro arbitrio imponendis.

10 Capitulum Cathedralis Ecclesię in decenti, opportunoque loco Archiuium ad scripturas asseruandas construi iubeat, duabus clauibus munitum, quę illis tradantur ad quos ex costitutionum dispositione eas retinere spectabit. Ex hoc autem Archiuio nullius generis scripturę extrahi possint sine Capituli licentia, quę per secreta suffragia obtineatur; nisi tam inopinata aliquando superuenerit necessitas, vt eodem die Capitulum nequeat conuocari: quo quidem casu non priùs extrahantur, quàm facultas in scriptis fuerit obtenta à Nostro Vicario Generali, cuius conscientiam oneramus in iudicando, an illa necessitas vera sit, nec ne. Quoties verò scriptura aliqua extrahetur, fiat obligatio eam intra certum tempus in eodem Archiuio reponendi; & huiusmodi obligatio describatur in libro ad

hunc

hunc effectum conficiendo, & in perpetuum ibidem conseruando. Quòd si opus fuerit interdum ipsamet Originalia in Iudicio producere, ad ipsius Archiuij Custodes pertinebit ea recuperare, statim atque idem Iudicium fuerit absolutum. Si quis autem scripturam, seu Scripturas cuiusuis generis ab eodem Archiuio sine prędicta licentia, aut facultate extrahere pręsumpserit, aut originalia respectiuè non recuperauerit, suspensionem à diuinis ipso facto, aliasque pœnas, Nostro iniungendas arbitrio, incurrat.

11 Quilibet Canonicus, qui Capituli bonorum curam gesserit, aut negotium aliquod ad ipsum Capitulum spectans quocunque modo administrauerit, si infra mensem post Completum munus rationem administrationis reddere neglexerit, statim intelligatur incurrisse pœnam vigintiquinque scutorum, quæ Sacristiæ erunt applicanda, quamuis interpellatus non fuerit, neque ad eandem rationem reddendam requisitus. Atque vt id faciliùs executioni demandetur, præcipimus, vt Capitulum huius Nostræ Cathedralis in electione Ministrorum, duos etiam singulis annis rationum Reuisores eligat, ab alijs officialibus omninò distinctos.

12 Canonici chorum ingredientes hunc omnino ordinem seruent; vt scilicet præcedant Dignitates, atque his absentibus, illi Canonici, qui Canonicatum priùs adepti sunt. Cùm autem ab eodem choro post absolutum Diuinum officium sunt discessuri, mutua se salutatione venerentur, eundemque ordinem retineant, quem in ingressu adhibuerunt. Prætera sub pœna scutorum quinque caueant Canonici, nè dum in choro commorantur, de vllo quamuis

exi-

exigui momenti negotio, quod ad Capitulum ſpectet, agant, aut loquantur. Locus enim ille, qui ſolis Dei laudibus addictus eſt, aliarum rerum tractationem non admittit.

13 Dignitates, & Canonici, qui concionibus in Cathedrali Eccleſia tempore Aduentus, & Quadrageſimæ habendis cum canonicali habitu non interſunt, eandem luant punctaturæ pœnam, quæ conſtituta eſt illis, qui matutino, & laudibus in choro præſentes eſſe omittunt.

14 Scriba, ſeu Cancellarius eligatur, qui acta capitularia redigat in ſcripturam, & eadem deſcribat in libro in prædicto Archiuio fideliter aſſeruando.

De Officio Parochi

Titulus II.

1 PArochi poſiti ſunt in Eccleſia Dei, vt curam gerant animarum, quas idem Deus adeò dilexit, vt pretioſiſſimo Vnigeniti filij ſui ſanguine redimendas exiſtimauerit. Eò igitur diligentiùs curare debent, vt munere ſuo fideliter perfungantur, quò grauiùs ſe ſciunt eſſe delicturos, ſi negligentes extiterint. Ouium ſibi commiſſarum cuſtodiæ tanquam boni Paſtores inuigilent; neque tartarei lupi aduentum ita pertimeſcant, vt eas infideliter deſerentes, viliſſimo Mercenariorum nomine ſe dignos afficiant.

2 Studeant ne caſtitas, aut morum integritas violetur: & ideo arrepto diſciplinæ flagello deprauata redarguant, fræ-

fræna licenter iam relaxata intendant, atque errorum tenebras luminæ Euangelicæ veritatis exterminent: ipsi vero eò diligentius animarum lucra perquirant, quò studiosiùs ad terrena emolumenta diuertuntur.

3 Sed inter alia, quæ ad sollicitudinem Parochorum spectant, Sacramentorum administratio vna est ex præcipuis reputanda. Nam quæ non ab homine, sed à Deo sanctificationem accipiunt, sub tegumento rerum visibilium salutem secretiùs operantur. Sint igitur Parochi in Sacrorum dispensatione solliciti; & qui in decimis, & primitijs exigendis vsque ad mortem non desinunt laborare, ea negligere non audeant, pro quibus decimarum largitiones expectant.

4 Cùm Parochi plurimum conferant Ecclesiasticæ dignitati, si diuini Præconis officium assumentes, populum sibi creditum verbo prædicationis instruxerint: ideo Euangelicam veritatem fidelium mentibus inserant, & humanæ salutis prospiciant: sed doctrinam, quam à Sacris paginis hauserint, sanam eructent, & in construendo loqutionis ædificio sacris Conciliorum, ac Sanctorum Patrum auctoritatibus innitantur. Ea etiam diligenter obseruent, quæ Nos Parochis, cùm de Verbi Dei concionatoribus ageremus, iniunximus.

5 Qui aliquam Parochialem Ecclesiam gubernandam assumit, seruitio alterius Ecclesiæ non succumbat, nè qui ad aliena diuertitur, propriam sponsam, quæ vnica esse solet, derelinquat. Qui si die festo occurrente abire, & contra formam suæ obligationis alibi celebrare præsumpserit, seruitio suæ Ecclesiæ diminuto, eò grauiùs puniatur, quo maiori temeritate deliquit.

6 Quos Parochus animaduertit humano auxilio destitutos, pio miserationis opere prosequatur. Aegrotantem, aut senio confectum inuisat; pupillum, & viduam tueatur; & quem viderit carceribus detineri, debitum ei officium charitatis impendat.

7 Parochus per se ipsum curam animarum exerceat, nec illam alteri, nulla obtenta facultate, committat; & quamuis cappellanus ei fuerit constitutus, non propter hanc causam à suo pastorali munere Parochus excusatur.

8 Saltem omnibus Dominicis, festisque diebus pro suę Parochiæ animabus celebrare Parochi meminerint, nec vllam pro eorundem dierum sacrificio eleemosynam ab alijs accipiant.

9 Enitantur pro viribus Ecclesias suas in Festis præsertim solemniorihus decenter ornare, easdemque Ecclesias, atque earum ædes reficere, ac reparare; in primisque curent, vt in sacra supellectili, atque in altaribus nitor, ac mundities appareat.

10 Parochorum etiam est populorum quieti prospicere, atque inter eos pacem perpetuam nutrire. Quare videant, nè qualis, aut controuersia, aut (quod peius est) inimicitia inter suos Parochianos nunquam suscitetur: sique eos dissidere animaduerterint, ad concordiam statim reuocandos curent. Illud etiam caueant, nè ipsimet Parochi cum suis Parochianis dissentionem habeant, & iam alicuius rei prætextu, quę sibi iure debeatur: sed ad Nos potiùs, vel ad Generalem nostrum Vicarium confugiant.

11 Si Parochus ægrotet, à Parocho viciniore visitetur, atque ab eo temporalibus, ac spiritualibus auxilijs reficiatur.

ciatur. Idque præsertim obseruetur in administratione Sacramentorum, quæ Parocho in aliqua infirmitate, aut in mortis articulo constituto, Parochus vicinior potiùs, quoad fieri poterit, quàm alius Sacerdos administret.

12 Habeat quilibet Parochus Archiuium, aut saltem Armariolum Claue munitum, vbi conseruentur inuentaria, Instrumenta publica, alięque scripturę, in quibus Ecclesię bona, prouentus, priuilegia, onera, concessiones, atque alia quæcunque iura ad eandem Ecclesiam pertinentia sint adnotata. Reponantur etiam in eo, distinctèque seruentur fides autenticę Reliquiarum, si quę ibi sunt, Diplomata indulgentiarum, & decreta in Nostris visitationibus facta. Sed quàm diligentissimè ibidem custodiantur libri Parochiales tam veteres, quàm recentes: ideſt Baptizatorum, Confirmatorum, Matrimoniorum, Defunctorum, ac de statu animarum. Si quis autem Parochus, elapsis duobus mensibus post huius Nostrę Synodi publicationem, hoc Archiuium, aut armariolum non construxerit decem scutorum pœnam incurrat, quæ pijs locis applicabuntur.

13 Parochi Regulares à nobis erunt examinandi: qui postquam parochiale munus absoluerint, parochiales libros suo successori in bonam formam redactos relinquere, ac tradere teneantur.

14 Parochi Parentes admoneant, nè ipsi eodem in lecto cum suis cuiuscunque sexus filijs cubent, qui septimum iam ętatis annum compleuerint; neque vllo modo patiantur, vt post prędictam ętatem simul cubent filij masculi cum feminis. Id Parochi non perfunctoriè, sed studiosissimè curent obseruari.

15 Ijdem Parochi omnino resideant, nec sine licentia abesse præsumant; qui si secus fecerint, & contumaciam in pascendis ouibus mercenariorum more contraxerint, pœnis grauissimis, à Summis Pontificibus, & à Sacro Concilio Tridentino propositis, puniantur.

16 Ille Parochus, qui obtenta licentia est discessurus, Virum doctrina, ac morum integritate conspicuum, & à Nobis approbatum substituere teneatur: nè desit, qui in Sacramentorum administratione, ac celebratione Sacrorum suppleat absentiam discedentis.

17 Cùm nonnulli causas huiusmodi, propter quas se abesse posse confidunt, ad illas extendant, quæ residere nolentibus minimè suffragantur: ideò ad tollendam ignorantiam, quam affectant, declaramus, causas infra dicendas non esse inter legitimas adscribendas: videlicet, senectutem, fructuum tenuitatem, odium Parochianorum, àèris intemperiem, propinquitatem Ecclesiæ Ciuitati. Sed si propter inimicitias, quæ graues post obtentum beneficium, & sine culpa Rectoris irrepserint, vel propter lites, seu propter curandam valetudinem, aut alias similes causas exigatur licentia discedendi, eadem, in quantum Nobis permittitur, concedatur.

18 Parochi ijs diebus, in quibus à Populo Sacramentorum susceptio frequentatur, discendendi licentiam non exigant, vt temporibus Aduentus, & Quadragesimæ, in festis Natiuitatis, & Resurrectionis Christi Domini, in die aduentus Spiritus Sancti, ac in Solemnitate Corporis Christi, & occurente festiuitate Patroni Parochialis Ecclesiæ tutelaris.

19 Sed

19 Sed si ob repentinam causam Parochus nulla habita facultate discedat, & desinat residere, statim per Nuncium Nos certiores facere teneantur: qui si causam habuerit legitimam discendendi, perinde erit, ac si licentia præcessisset; si verò secus, tanquam absens habebitur, & punietur.

20 Si animarum curæ Præpositus furtiuè discesserit, ne Grex sine Pastore in deuium prolabatur, Nostrum erit alium, qui suppleat, subrogare. Sed vt rei, quæ maximi interest, notitiam habeamus, iniungimus viciniori Curato, vt statim atque audierit Parochum sibi proximum discessisse, Nos faciat certiores.

21 Cùm ferre Nostra Pastoralis sollicitudo non sinat illorum inconstantiam, animique leuitatem, qui licèt perpetuò debeant residere, tamen aliquando nulla habita temporis ratione discedunt, vt nundinis intersint, & spectacula frequentent: ideo, qui ad residentiam obligantur, omnibus, & singulis prohibemus extra Diœcesim Nobis inconsultis abire, Ecclesiæ seruitio denegato. Qui transgressores extiterint, in Carceres detrudantur, si vltra biduum redire distulerint.

Omittuntur hic Tituli de Monialibus, & de Locis Pijs, quia in calce huius Synodi plura constituentur Italica Lingua.

De

De Exorcismis Ecclesiæ
Titulus III.

1 CVm humana perditio sit Dæmonibus voluptati, eisque transeat in delicias nostra vexatio: nunquam hominibus parcunt, quos fraude seducunt; & sine intermissione stimulant ad ruinam. Sed nemo sit, qui exterritus consternetur, cùm Diuina Maiestas assistat, & seruos suos ad sectanda tractatu difficiliora promoueat. Si igitur consenserit Exorcista per Sanctum Iesu Christi Nomen Dæmones adiurare, vt eos à Corporibus obsessis expellat, manum intrepidus imponat, & suo iure illam sibi quodammodo vendicet potestatem, quam à spiritu Sancto copiosùs largiente recepit. Sed qui infernalibus nequitijs dominatur, easque propulsare exorcismis, & ornationibus profitetur, prius à se prauitatem eijciat, & conscientiæ monstra dimittat.

2 Nemo in Nostra Ciuitate, aut Diœcesi sub pœna carceris audeat exorcizare, nisi post licentiam à Nobis obtentam: Quòd si fuerit Regularis, à suis Superioribus, quos Nos de ipsius temeritate certiores faciemus, seuerè punietur. Qui autem exorcizat, præscriptum Ritualis obseruet: interim sacrosanctum Missæ Sacrificium præmittat, vt qui Diuinam Maiestatem exorat, exorcizandi munus ritè perficiat, & ab obsessis immundos Spiritus abigat.

3 Qui subijcitur Exorcismo, Sacramentali Confessione, si fieri potest actu contritionis remissionem delictorum

obti-

obtineat, vt lumine gratiæ ſuperuenientis infuſo, mens illuſtretur interiùs, & Domino diſponentes Corpus eximatur interius à poteſtatibus tenebrarum. Sed ſi aliquo nexu excommunicationis exorcizandus innodatus extiterit, curet, qui præ eſt, vt eidem priùs abſolutionis beneficium impendatur.

4 In Eccleſijs, non autem in domibus laicorum ſuum officium ſubeat Exorciſta; & paucis, probiſque Viris adhibitis, Conuenientium multitudinem non admittat. Inter exorcizandum à prolixitate ſermonis abſtineat, & ad irreuerentiam euitandam, nec iocos admiſceat, nec inconſiderate loquatur. Superpelliceum verò, & ſtolam ſemper adhibeat.

5 Qui mulieres exorcizat, illas tagere non præſumat: ſed ſi aliter fieri ſuadente neceſſitate contingerit, ſtudeat retinere modeſtiam, atque intra honeſtatis confinia contineri.

6 Ab exorciſmis, ac ritibus, quos ordinauit Eccleſia, declinare nunquam audeat exorciſta. Qui ſi maleficia, aut res ſuperſtitioſas ad exorcizandum aſſumpſerit, præter alias pœnas, quas imponendas noſtro arbitrio reſeruamus, ipſo facto ſuſpenſionem incurrat.

7 Si quis Vir, aut qua Mulier finxerit, ſe quocunque modo à Dæmone obſideri, debeat Exorciſta Nobis confeſtim denunciare, vt eum, vel eam debita correctione afficiamus. Volumus inſuper, vt quilibet Parochus, etiam Regularis, ſi aliquam huius generis perſonam in ſua Parochia eſſe compererit, Nos quam primum commonefaciat, ſub pœnis Noſtro arbitrio imponendis.

8 Quia

8 Quia verò debet Exorcista ab omni auaritiæ macula, & suspicione prorsus esse alienus, ijs omnibus, & singulis, qui à Nobis exorcizandi facultatem impetrauerint, pręcipimus, & in virtute Sanctæ obedientiæ mandamus, vt in hoc officio exequendo non solum nihil audeant exigere, aut postulare: sed etiam omne donum quantumuis minimum, ac spontè oblatum debeant recusare.

9 Caueat Exorcista ministerium exorcizandi exercere ante ortum, aut post occasum Solis: obsessos autem de rebus inanibus, aut curiosis interrogare, vt propriæ, aut alienæ curiositati satisfaciat, nullo modo præsumat.

De Examinatoribus Synodalibus.

Titulus. IV.

1 INstructio, Examen, aut inquisitio, quæ in Ecclesiarum collatione pręmittitur, omnis fraudis suspicione semota, debet institui de vita, & moribus promouendi. Et ideo ne Examinatores in causarum huiusmodi cognitione vacillent, ad munera, quæ mentem excæcant, & iustitiæ stateram inclinant, dexteram nunquam extendant, nec aliquid ab ijs, qui examini subijcientur, accipiant. Qui si contrarium fecerint, nec à largitionibus manus abstinuerint, præter simonię labem, quam de facili sciant se incursuros, gladium humani ac diuini iudicij sibi intelligant imminere.

2 Si aliquis ex Examinatoribus fuerit examinando in

tertio

tertio gradu consanguinitatis, vel affinitatis inclusiuè coniunctus, vt omnis suspicio carnalis affectus tollatur, ille pro ea vice examini interuenire desistat.

3 Sed vt Examinatores pluribus vinculis obstringantur ad munus suum fideliter exercendum, antequam Synodus absoluatur, iurare in manibus nostris ad Sancta Dei Euangelia teneantur, se omni fidelitate, reiecto quocunque humano respectu officium huiusmodi subituros.

4 In Examinatores Synodales assumimus, quibus forma doctrinę, & specimen laudatæ consuetudinis suffragatur. Sunt autem infrascripti.

Examinatores Synodales.

Adm. R. D. Nicolaus Ciprianus Ecclesię Cath. Decanus I. V. D. Proth. Apost. & Vicarius Generalis.

R. D. Melchior Lucidus Archipresbyter Cathedralis Ecclesię.

R. D. Io: Baptista Lucidus Primicerius Cath. Eccl. V. I. D.

R. D. Franciscus Morus Canon. Cath. Ecclesiæ.

R. D. Paulus Æmilius Bonfinus Canonicus Cath. Eccl.

Vener. Presbyt. Ioseph Tancredus Eccles. Paroch. S. Petri dè Castignano Prior Vic. For.

Vener. Presbyt. Franciscus Siliquinus Ecclesiæ Paroch. S. Mariæ de Castignano Prior nuncupatus.

Vener. Presbyt. Franciscus Deiphœbus Eccl. Paroch. S. Laurentij Montis de Nouem Prępositus nuncupatus.

Reu. Ioannes Pisellus.

Reu. Ioſeph Pelleus I. V. D. Vicarius Foraneus Montiſelpari.

Reu. Achilles Pelleus I. V. D. Eccleſ. S. Gregorij Montiſelpari Archipresbyter nuncupatus.

Reu. Baſilius Angeluccius.

D. Antonius Silueſter Philoſophiæ, ac Sac. Theologiæ, nec non I. V. Doctor.

Ex Regularibus.

Adm. R. P. D. ANgelus Maria Lentus Abbas Oliuetanus S. Theologię profeſſor.

P. Fr. Franciſcus Ciauattonus ord. min. Conu. S. Theologię Magiſter.

P. Fr. Franciſcus Maria Lucidus ord. min. Conu. S. Theologię Magiſter.

P. Fr. Siluius Canalis ord. min. Conu. S. Theologię Magiſter.

P. Fr. Antonius Franciſcus Porfirius ord. min. Conu. S. Theologię Magiſter.

P. Fr. Franciſcus Vagnolinus ord. min. Conu. S. Theologię Baccalaureus.

P. Fr. Fulgentius Trauallonus ord. Erem. S. Auguſtini S. Theologię Magiſter.

P. Fr. Aurelius Guerrerus ord. Erem. Sancti Auguſtini S. Theologię Baccalaureus.

P. F. Laurentius à Portella ord. min S. Franciſci ſtrictioris obſeruantię S. Theologię Profeſſor.

De

De Iudicibus Synodalibus.

Titulus V.

1 Contentiones, & lites, quæ interpositis ambagibus plurimum differuntur, cùm soleant scintillulam fraternæ dilectionis, extinguere, & ad iurgia prouocare, quanto citiùs expedit terminari. Propterea ex Sacri Tridentini Concilij præscripto in Diœcesana Synodo Iudices eliguntur, vt ijsdem causarum cognitione commissa, circuitus euitetur, ad suggestionem iniquissimi spiritus solitus interponi. Qui ergo in Iudices assumuntur, controuersiarum implicamenta quàm celerrimè dissoluant; vt contentione sedata vnio reuiuiscat, & tranquillitas foueatur concordantium animorum.

2 Eligimus in Iudices Synodales, quos morum integritas, & doctrina commendat. Sunt autem infrascripti.

Iudices Synodales.

Adm. R. D. Nicolaus Ciprianus I. V. D. Proth. Apost. Cath. Eccl. Decanus, & Vicarius Gener.
R. D. Io: Baptista Lucidus Cath. Eccl. Primicerius I. V. D.
R. D. Marcus Antonius Ferrus Ecclesię Cath. Canonicus.
R. D. Antonius Vicus Ecclesię Cath. Canonicus I. V. D.
R. D. Cœsar Mecius Ecclesiæ Cath. Canonicus.
R. D. Carolus Vagnotius Eccl. Cath. Canonicus I. V. D.
R. D. Seraphinus Ioanninus Ecclesię Cath. Canonicus.

De Testibus Synodalibus.

Titulus. VI.

1 QVi fraudem legibus faciunt, nisi innotuerint, corripi, & ad bonam frugem reuocari non possunt: imò cùm nullam subeant vltionem, turpiter transeunt in exemplum. Propterea nè contingat, impunitum remanere delictum, & constitutionibus violatis, criminòsum sua petulantia gloriari: iuxta antiquam consuetudinem Sacrorum Canonum auctoritate firmatam, nonnullos eligimus, qui Zelo fraternę charitatis adstricti Nobis secretò denuncient, quoscunque animaduerterit vitam minus laudabilem traducere, & Synodalia Decreta contemnere: vt habita de Ægrotante notitia, eidem adhibeatur antidotum, & pharmaca spiritualia misceantur. Igitur qui muneri huiusmodi præponuntur, nemini parcant; nam qui aliena delicta non detegunt, eorum etiam criminum, quæ alij admiserunt participes fiunt.

2 Testes Synodales constituimus, & declaramus in Ciuitate Curatos pro tempore; in alijs vero locis Vicarios Foraneos.

De

De Medicis.

Titulus. VII.

1 EXpedit aliquando, corporis diſſolutione ſuſpenſa, diutiùs viuere ad illud virtutis meritum comparandum, quo prioris vitę diſpendia compenſetur. Ideo ſi morbus vexat, & periculum mortis immineat, Medicus manum apponat, & pharmaca pro inſtauratione ſalutis admoueat. Sed qui ad curandum corpus aſſumitur, conſulat etiam animę ſuis vitiorum languoribus laboranti. Hortetur ergo Ægrotum, vt ad iacturam corporeę valetudinis reparandam conſcientiæ vulnera detegat, & ad ſalutaria lacrymarum vnguenta recurrat; Qui ſi ſecus fecerit, eiuſque culpa interior homo perierit, habeat Deum vltorem, & eadem morte, quam intulit, puniatur.

2 Hortentur Medicus Ægrotantem, vt præmiſſo Pœnitentiæ ſalutari lauacro, ab iniquitate mundetur. Qui ſi poſt tertiam diem animaduerterit, adhuc Infirmum ſuis monitionibus non paruiſſe, abſtineat eum amplius viſitare; niſi terminum longiorem ob aliquam rationabilem cauſam duxerit concedendum. Si autem Medicus præfata obſeruare contempſerit, ex Conſtitutione felicis recordationis B. Pij Papæ Quinti perpetuam ſubeat notam infamiæ, gradu medicinæ priuetur, & eijciatur ab Vniuerſitate, & Collegio Medicorum, præter alias pœnas pecuniarias, quas idem Summus Pontifex Ordinariorum arbitrio præcipit imponendas.

3 Vt

3 Vt Medici ad obseruantiam prædictorum strictioribus nexibus obligentur, infra duos menses in manibus Nostris, seu nostri Vicarij Generalis iurare teneantur, se ea omnia exequuturos, quæ in præfata Constitutione fusiùs continentur. Qui si durante dicto terminò contumaces extiterint, nec docere curauerint, se aliàs huiusmodi iuramentum præstitisse, pœnis ab eodem Beato Pontifice in dicta constitutione præscriptis subiacere se sciant.

4 Si contingerit, aliquem ægrotare, Medicus, qui curationem assumit, Parochum faciat certiorem, vt præsto sit, & succurrat, qui debet pastoralem sollicitudinem exhibere.

5 Medici, qui pro publica vtilitate vocantur, omnibus, remota personarum acceptione, deseruiant; nec pauperiore neglecto studeant solùm placere nobilibus, nè mercedem, quam pro suis laboribus exigunt, restituere teneantur.

5 Chirurgus, qui curat Clericum, cui aliquod vulnus fuit inflictum, Nobis, aut Generali nostro Vicariò denunciet; & idem præstet, si ab aliquo fuerit accersitus, quem Clericum vulnerauit.

7 In Medicis eligendis, exclusa humana gratia, meritum exquiratur. Cùm autem Sixtus Quintus stipendium pro inseruientium Physicorum mercede statuerit, conditiones in Instrumento donationis appositas Ciues adimpleant, nec in aliquo patiantur, Sanctam funestari memoriam liberalis, ac splendidi largitoris. Cuius munifica mens obseruanda atque implenda est etiam in electione Ludi magistri, pro cuius mercede, cùm adhuc ille Cardinalis esset, certam pecuniæ summam tradidit Vniuersitati Montisalti.

De

De Vicarijs Foraneis
Titulus VIII.

1 Vicarij, qui ſpirituali ſingulorum oppidorum regimini præponuntur, neſciant iura confundere, & pauperiore contempto, ſupprimere veritatem: deſinant amicum induere, nè perſonam Iudicis exuant: qui ſi iniqua ſtatera librauerint, & calamitatem intulerint innocenti, ab illo Iudice ſe puniendos intelligant, qui nec fauore ſubuertitur, nec gratia præuenitur.

2 Synodalium præceptorum obſeruantia Vicariorum ſollicitudini committatur, qui tranſgreſſores moneant, & duriores indifferentèr, aut indiſtinctè denuncient.

3 Si delicta attentari contingerit, quæ ad Noſtrum Tribunal viſa fuerint pertinere, Vicarij ſtatim inquirant, ac referant.

4 Præcipiant, feſta ſeruari, & pœnam à Violatoribus exigant ad fauorem Eccleſię deponendam.

5 Plura ad Vicarios Foraneos ſpectantia addemus vernacula lingua in calce huius Synodi.



SESSIO QVARTA

De Sacrosanctis Ecclesijs, earumque veneratione, ac immunitate

Titulus I.

1 ECclesia, quæ est Domus orationis, & Regia sanctitatis, non est scelestorum hominum iniquitate fœdanda: vbi enim culpa dimittitur, nefas est vlterioribus criminibus animam inquinari. Quæ igitur sedes est sublimitatis æternę, sibi debitam retineat dignitatem; nec à sua maiestate declinet, transiens in speluncam.

2 In Ecclesijs nihil agatur, quo Diuinum turbari possit officium, & Diuina Maiestas offendi. Non deambuletur ad animum relaxandum, nec Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento irreuerenter terga vertantur; cessent strepitus, & clamores; nec de mundanis rebus confabulationes, & colloquia misceantur. Sileant clamosa iudicia, nec sententiæ tam definitiuæ, quàm interloquutoriæ proferantur; non conficiantur instrumenta, nec iuramenta deferantur; & qui versantur in foro, & causas agere consueuerunt, donec in Æde sacra permanserint, negotiari non audeant; nec vocata ad Concilium multitudo pro gerendis negotijs sæcularibus in corpus vnius populi coalescat.

3 Ne-

3 Nemo audeat in Ecclesijs, aut extra per spatium pedum triginta ducere choreas, & exercere tripudia; ludere, profanas cantiunculas canere, & ad inanem voluptatem captandam musica instrumenta pulsare, non solum sub pœnis, quæ in Sacrosancto Concilio continentur, verum etiam sub alijs grauioribus Nostro arbitrio imponendis.

4 Non sit, qui in Ecclesijs, seu Oratorijs seruet, aut reponat custodienda frumenta, legumina, segetes, aliaque huiusmodi; item quæcunque supellectilia, ligna, dolia, aliaque similia, non solum sub pœna amissionis bonorum, verum etiam sub alijs, quas sibi Nostri arbitrij discretio reseruauit.

5 Rectores Ecclesiarum non patiantur haberi in sacris ædibus colloquia cum Mulieribus impudicis, verba obscœna proferri, & alia peragi, quę Diuinę Maiestati displiceant. Vnde delinquentes admoneant, & iusso Nostro, si opus fuerit, eosdem abire compellant.

6 Sed quia aliquando Mulieres Dei timoris oblitæ sexus verecundia in petulantiam commutata, etiam per Ecclesias incessu gradiuntur meretricio, vbi cùm immodestas dirigant acies oculorum, Iuuenum intemperantiam prouocant, & ab Adolescentibus lasciuos gestus extorquent: idcirco, nè Domus Dei sit occasio delinquendi, Parochi mulieres acriter arguant, quæ parui facientes minas ignis ęterni, ingrediuntur Ecclesias, non vt veniam peccatorum à Diuina Maiestate reportent, sed vt noua peccata committant, & alios ad delinquendum inuitent.

7 Domus orationis transire non debet in mercium officinam, teste Domino, qui cum vendentes, & ementes,

facto quasi flagello de funiculis, eieciſſet è templo, huiuſmodi delicta maximoperè cauenda monſtrauit. Propterea nemo per Eccleſiam obambulare, aut in ea menſas retinere prçſumat, ſub prçtextu quarumcunque mercium vendendarum. Qui ſecus fecerit, ſtatim compellatur abire.

8 Nè ſtrepitu, aut clamore ludentium Diuina officia perturbentur, nemo audeat extra, & propè Eccleſias, prçcipuè eo tempore, quo ſacra peraguntur, & Pueri fidei rudimenta docentur, ludos exercere, qui prçcipites ſint, & clamore permixti.

9 Qui ingrediuntur Eccleſiam, arma efficacia ſolius orationis debent aſſumere. Nemo igitur audeat inſtrumenta bellica, ideſt cuiuſuis generis arma, exceptis enſe, & pugione vagina tectis, intra Eccleſiam geſtare ſub pœna ſcutorum decem: Rector autem Eccleſiæ, qui probare non poterit, ſe delinquentem admonuiſſe, quinque ſcutorum pœnam incurrat: Quam pœnam luat etiam Sacriſta, vel quilibet alius, ad quem Eccleſiæ cuſtodia ſpectat, ſi ſuper Altaria, & Sedes Confeſſionales caniſtros, pileos, pallia, aliaque huiuſmodi generis poni permiſerit.

10 Qui mendicare pro vitç ſubſtentatione coguntur, etiam ſi fuerint Regulares, per Eccleſiam vagari non audeant, Diuinorum officiorum recitatione durante, ex conſtitutionç B. Pij Quinti. Sed ad valuas Eccleſiæ conſiſtentes, populi pietatem implorent. Capſulas autem pro eleemoſynis prohibemus publicè in Eccleſijs retineri, ex Decreto Sacræ Congregationis Epiſcoporum.

11 Octauo quoque die Eccleſiarum pauimenta verrantur, vt nitida ſint, atque ab immunditijs expurgata.

Cùm

Cùm autem Canes soleant Ecclesias, & Altaria deturpare, atque importunis latratibus impedire Diuina officia, aut Euangelicam Concionem, ideo semper assistant, qui canes expellant, eosque in Ecclesia diu permanere prohibeant.

12 Fenestrę, quibus è vicinis domibus in prospectum populi sanctuaria producuntur, omnino claudantur, nec ex Decreto Sacræ Congregationis Episcoporum fieri vlteriùs permittantur, ad irreuerentiam, quæ plerunque committitur, euitandam.

13 Sed quia aliquando ædificia corruunt propter arbores, plantas, & stirpes, quibus inhęrentibus parietes labefactantur, & tractu temporis dilabuntur: ideo arbores quascunque, quæ Ecclesiæ parietibus innituntur, aut propè illos consitæ sunt, nè damnum radicibus inferant, incidantur, & germina resecentur.

14 Prope Ecclesias ea non permitimus retineri, quæ sine castitatis iactura tolerari non possunt. Ideo prohibemus, propè sacras Ædes impudicas mulieres habitare; & tabernas, in quibus residet flagitiorum mater ebrietas, aperiri, sub pœna publicæ fustigationis.

15 Ecclesias, Cappellas, Oratoria publica, aliaque huiusmodi, nemo audeat sine Nostra licentia in scriptis impetranda erigere, ac de nouo construere, aut constructa diruere, sub pœnis, quæ à sacris Canonibus imponuntur. Imò Parochus animaduertens, intra limites suæ Parochię fuisse in hac parte aliquid attentatum, statim Nos certiores facere teneatur, vt qui trangressores extiterint, suæ temeritatis pœnas luant.

16 Anniuersarius dies, quo Ecclesia consecrata, &

 dicata

dicata fuit, magna Solemnitate, & ipsius Ecclesiæ ornatu celebretur; recurrente autem Anniuersário Dedicationis huius nostræ Cathedralis de eo fiat officium etiam in tota Diœcesi.

17 Ecclesias quascunque, & præcipuè Parochiales temporis diuturnitate labentes, Rectores restaurare, ac reficere teneantur; & ad eos compellendos assumenda erunt etiam Iuris remedia, quæ à Tridentino Concilio præscribuntur sess. 22. cap. 7. Quòd si præfati Rectores nimia paupertate laborent, & nequeant egestate detenti sufficientem pecuniam pro resarciendis Ecclesijs collabentibus erogare, Nostrum erit iuxta formulam ab eodem Concilio traditam prouidere.

18 Ligna, lapides, & Cęmenta, quę post Ecclesiam dirutam remanserunt in vsum profanum minimè transferantur, nisi obtenta licentia cum cognitione causæ concedenda; in quo casu dicta cæmenta vendantur, & in vtilitatem Ecclesiæ prętium expendatur.

19 Oratoria in loco campestri, aut in vijs publicis excitata, in quibus Missę sacrificium non celebratur, nullum habeant erectum altare: quod si fortè constructum extiterit, omnino infra spatium duorum mensium destruatur. Huiusmodi autem oratoria ligneis cancellis, & claue muniantur, & illius Parochi curæ subiaceant intra cuius Parochiæ fines sunt erecta.

20 Fenestræ omnium Ecclesiarum cratibus ferreis, & vitreis oculis, seu panno lineo cęra illito, vel papyro quocunque anni tempore muniantur ad ventorum iniuriam propulsandum, & ad arcenda volatilia, à quibus deturpantur

altaria,

altaria, & pauimentum sordibus inquinatur.

21 Ecclesię, quę fuerint in maxima distantia constitutę, claudantur statim Diuinis officijs absolutis, sin minus, noctis tempore adueniente. Prohibemus etiam, Ecclesiarum portas ante lucem aperiri, & post occasum solis apertas retineri, maximè illarum, quę sunt obscuriores, sub pœnis nostro arbitrio imponendis.

22 Vt ea, quæ possunt occurrere, scandala euitentur, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendę, alijsque pœnis Nostro arbitrio infligendis prohibemus, nè mulieres quacunque ratione, aut prætextu audeant ingredi in illa Confratrum Oratoria, quæ publicas, ac patentes ianuas non habent, neque in illa, ad quę per scalas, viasque occultas ascenditur.

23 Præcipimus, remoueri ea scamna, seu genuflexoria, quę tam prope altaria collocata sunt, vt aliquam animi perturbationem afferant celebranti, respectu personarum, & præcipuè mulierum, quæ in illis genuflectunt, aut consident.

24 Nemo audeat sub pœna scutorum quinque prope Ecclesiarum valuas, aut vasa aquæ sanctę consistere, ne ingredientibus, aut transeuntibus sit impedimento, & sub eadem poena prohibemus, nè quis laicus in choro aut sacristia immoretur.

25 Nullo modo permittendum est, vt contractus vlli in Ecclesia celebrentur, præter matrimoniales, aut eos, qui spectant ad pietatem; neque criminalia iudicia, aut actus ad huiusmodi iudicia spectantes, exerceantur, quales sunt delictorum inquisitiones, testium examina, cadauerum inspe-

ctiones,

ctiones, & alia huius generis. Quod si casus tulerit, vt alicuius interfecti corpus iam in Ecclesiam delatum recognoscendum sit, id sine Nostra, aut Vicarij nostri Generalis licentia in scriptis obtinenda, nunquam fiat, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ: tunc verò cadauer extra Ecclesiam erit exportandum, nè inspectio intra ipsam sequatur.

26. Si qua Ecclesia violata, aut polluta fuerit, eius Rector statim Nos certiores faciat, vt eam reconciliare valeamus. Interim claudatur, nec Diuina officia in ea celebrentur. Polluitur autem Ecclesia præsertim propter homicidium in ea perpetratum, ob notabilem sanguinis, aut seminis effusionem, aut si in ea aliquis excommunicatus, vel non baptizatus sepultus fuerit.

27. Nullus Sacerdos, aut Clericus in sacris ordinibus constitutus audeat in Ecclesia tabacchum sumere sub pœna scutorum quinque: si quis eorum autem, vel superpelliceo, vel quod grauius esset sacerdotalibus paramentis indutus illud sumere auderet, suspensionem à diuinis ipso facto incurrat Nobis reseruatam.

28. Parochi, aut quæuis alia persona non audeant in Ecclesijs, aut locis sacris, vel immunibus detinere Criminosum, exulem, vel damnatum, qui in loco libero sit, nisi prius Nos fecerit certiores. Sed si ipsis inconsultis præfatæ personæ se ad huiusmodi loca receperint, non patiantur ibi vltra triduum commorari. Ad Nos igitur statim venire festinent, audituri quidquid priùs spectata facti qualitate, & inspecta conditione personarum, temporum, ac locorum, circa Ecclesiasticam libertatem, ac Sacrorum lo-

corum

corum honestatem seruandam Nobis magis videbitur expedire.

29 Altaria conficiantur ex lapide, & vacuis, seu concauis interius careant interuallis pro Ecclesiæ vtensilibus recondendis. Sint congruæ lognitudinis, & latitudinis; & habeant scabellum suppedaneum ex ligno constructum, ipsorum altarium longitudinem non excedens.

30 Portatile congruæ magnitudinis in altari firmetur, quod similiter ex lapide, seclusa quacunque alia materia, construatur; & ita inseratur altari, vt ad effusionis periculum euitandum, nihil prorsus emineat.

31 Exornentur altaria, nec de nouo sine Nostra licentia construantur. Singula suam retineant elegantiam, & habeant omnia suo ordine rectè disposita, quæ pro celebrando missæ Sacrificio requiruntur, videlicet: Sanctissimè Crucis imaginem duo Candelabra, Emunctorium, duo puluinaria, Tabellas secretarum, & Euangelij Sancti Ioannis, & Psalmi Lauabo; tres mappas, pallium, & scabellum suppedaneum, per quod ascendimus ad altare.

32 Fideles aquis lustralibus asperguntur, vt à criminibus abluantur, & consequi mereantur vbertatem agrorum à Summo bonorum omnium Largitore. Propterea Parochi aquam benedictam conficiant in vasis mundis prope Ianuas Ecclesiæ retinendam, eamque octauo quoque die renouare teneantur.

33 Parochi singulis annis ex antiqua Ecclesiæ consuetudine, maiori Hebdomada recurrente, Domos illorum, quorum regimini præsunt, lustralium aquarum aspersione fundantur: ita tamen, vt nemo audeat, qui non sit Paro-

chus,

chus, aut à Parocho substitutus, huiusmodi onus assumere, etiam si fuerit Regularis. Sed quia non expedit, vt mundetur, qui turpitudinis labe pollutus est: ideo, qui singulas domos Parochus benedicit, Domicilia meretricum, & eorum, qui sunt publici peccatores, aut nominatim illigati excommunicationis vinculo, non aspergat.

34 Recessus in Sacristia disponatur vbi sacerdotes proximè celebraturi se pręparent ingenua prouoluti; ibique retineatur Imago Sanctissimi Crucifixi cum chartula, ex qua pręces recitentur, a celebrare volentibus præmittendæ.

35 Cùm Deus magis Cordis, quàm oris deprecationem ęxaudiat, Sacerdotes, qui in sacrarium aduenerunt, nè inuicem se perturbent, preces submissis vocibus recitent, & orationem nullo emisso strepitu labiorum effudant.

36 Altare in sacrario construatur, ex quo Sacerdos celebraturus Calicem, ac sacra indumenta desumat. Nec desit celebrare volenti lauacrum pro manibus abluendis, & mappa munda pro illis abstergendis.

37 Absoluta Diuinorum officiorum recitatione, sacrarij ianua claudatur repagulo, ac claue munita: vt quę in eo conseruantur, à furum, improborumque hominum rapacitate sint tuta. Interim Sacrista clauem secum ferat nec illam relictam occultet in aliquo quamuis secretiore latibulo.

38 Vt singulis diebus Dominicæ Incarnationis memoria recolatur, laudabilis consuetudo retinenda est, vt oriente aurora, adueniente meridie, & tempore vespertino in honorem Beatissimę Virginis, quæ Christum Iesum in vtero concepit, Salutatio Angelica à fidelibus recitetur: sic enim

hoc

hoc diuino Myſterio ſæpius in memoriam reuocato, debitas gratiarum actiones Domino perſoluemus, & Deum laudabimus, qui noſtræ infirmitati proſpexit. Singulis ergo diebus ſtatutis horis Eccleſiarum campanę pulſentur, & fideles ad Beatiſſimam Virginem ſalutandam determinatis ictibus inuitentur.

39 Die Sabbati ſancti, quo Chriſtus à mortuis reſurrexit, Campanæ pulſentur, & quæ in triduo Paſſionis Dominicæ ſiluerunt, plaudant Domino triumphanti. Sed in alijs Eccleſijs expectetur, vt prius Noſtra Cathedralis in Ciuitate, & Matrices in Diœceſi incipiant.

40 Habeat quælibet Eccleſia Parochialis plures Campanas, vt earum varietate officiorum, ac Solemnitatum diuerſitas dignoſcatur: imò populus moneatur, vt, ſi animaduerterit ænea huiuſmodi inſtrumenta pulſari, ſciat, ſe ad vacandum diuinis precibus inuitari.

41 Nemini liceat in Campanili Campanas appendere, quæ priùs à Nobis non fuerint ſuis benedictionibus inſignitæ: ſunes autem, quibus Campanæ trahuntur, defluant longiores, ita vt ad vltimum pauimentum vſque deſcendantur.

42 Parochus, ſeu quilibet alius Deputatus non permittat, Campanas pio cultui deſtinatas, profanis vſibus inſeruire. Et ideo ad multitudinem in concilium conuocandam, & ad populum admonendum, vt ſpectaculis interſit, Campanas pulſari prohibemus. Qui non paruerit, pœna Carceris puniatur.

43 Campanile ſeruetur mundum; & quatenus opus eſt, tranſlatis ſordibus, abſtergatur. Claudatur, diuinis

officijs absolutis; & ad illud nemo, qui sit extraneus, admittatur. Qui autem aduenerit, nihil agat, quod munditiem violet, aut decorem. Qui præsunt, obediant, nè in carceres detrudantur.

44 Nemo audeat adire Campanile, vt ibi otietur, & ludat; & qui in hac parte abusus irrepserit, omnino tollatur. Nullus præsumat fraudem Nostris Constitutionibus facere, nec Sacrista permitat, sub pœna Carceris, & priuationis officij.

De Ecclesię iuribus, & redditibus Conseruandis.

Titulus II.

1 INuoluuntur retibus auaritiæ, qui furantur: sed qui fraudant Ecclesiam, & bona sibi vsurpant pauperibus eroganda, Sacrilegio irretiuntur: vnde iura clamant, & ad facinus vindicandum insurgunt. Propterea Clerici suarum Ecclesiarum indemnitatibus consulant; nec patiantur, ea, quæ Christi patrimonium euaserunt, diuerti, & profanis vsibus applicari.

2 Nemo præsumat in proprios vsus Ecclesiastica bona conuertere, & malitiosè occupare. Qui secus fecerint, ex Concilij Tridentini decreto, & Summorum Pontificum constitutionibus excommunicationem statim incurrant, qua tandiu transgressores permaneant irretiti, quandiu re-

sti-

ftituere bona prædicta diftulerint, & à Romano Pontifice abfolutionem neglexerit obtinere.

3 Qui propofita euidenti vtilitate, bona Ecclefiaftica vendere, aut alienare confenferit, priùs obtineat facultatem, & difpenfationem Sedis Apoftolicæ, aut noftram, in quantum Nobis iura concedunt; & feruatis feruandis ad vlteriora procedat. Quod fi quis in hoc iudicio faciendo veritatem fuppreſſerit, & in Ecclefiæ detrimentum cum fraude decretum extorferit, eandem excommunicationis pœnam incurrat, qua vfurpatores rerum Ecclefiafticarum fupradiximus innodari.

4 Vacatione alicuius Parochialis Ecclefiæ contingente, nemo audeat rem aliquam furtiuè fubtrahere, vt fupellectilia, aut fcripturas, fub pœna excommunicationis latæ fententiæ; nec abfolutionem obtineat, quandiu reftituere fublata bona contempferit.

5 Ecclefiæ Prædia, omni diligentia, ac fufficienti cultura adhibita fructuofa, & ad hominum vfum meliora redduntur. Nemo igitur audeat arbores fructiferas adhuc virentes, aut vites incidere. Si quis verò Syluam, aut vites præfumat effe ceduas, eas incidere nequeat, nifi effe verè tales Nobis, aut Vicario noftro Generali prius conftare fecerit, fub pœna fcuti vnius pro qualibet arbore, aut vite incifa; & eo cafu, quo probauerit, vites, aut arbores euafiffe infrugiferas, nouas loco recifarum plantare teneantur.

6 Ecclefiæ ædificia, quæ publicè vtilia funt, aut aliquem Ciuitati ornatum præbent, nitida, farcta, ac tecta conferuanda effe cenfemus. Itaque fi rimam ducunt, rui-

namque minitari cœperint, ab ijs, qui tenentur, ſtatim reparentur.

7 Eccleſiaſtica Beneficia poſſidentes infra ſex menſes Inuentarium autenticum iuxta formam à Nobis inferiùs apponendam, omnium, & ſingulorum bonorum ſtabilium, terrarum, domorum, cenſuum, redituum, iurium actionum, ac reliquorum ad ſuam Eccleſiam pertinentium, annotatis qualitatibus, quantitatibus, confinibus, ſituationibus, reſponſionibus, ac nominibus detinentium, ac operariorum, omnino conficere, & confectum Nobis, aut noſtro Vicario Generali tranſmittere teneantur, in Epiſcopali Archiuio ad perpetuam rei memoriam conſeruandum.

8 Nè in præiudicium Eccleſiarum deperdantur earum bona mobilia, & propter Beneficiatorum ſocordiam diſtrahantur, Inuentarium quoque conficiatur omnium bonorum mobilium, in quo ita diſtinctè omnia vaſa ſacra, veſtes, ſupellectilia, atque alia deſcribantur, vt ſi in alterius manus furtiuè peruenerint, poſſunt facilè recognoſci.

9 Inuentarium, quod omnium bonorum mobilium, ſeu, ſtabilium Beneficiato ſuperiùs iniunximus faciendum, eadem diligentia infra idem tempus, à Confratibus, ſeu Deputatis conficiatur eorum bonorum, quæ ſunt Confraternitatis; aut alterius loci pij ad Nos ſimiliter tranſmittendum.

10 Beneficia Eccleſiaſtica obtinentes non permittant ijs ſuarum Eccleſiarum bona locari, quos nouerint prope bona Eccleſiæ ſua prædia poſſidere, præſertim ſi Conſanguinei fuerint, aut affines: niſi priùs in inſtrumento locationis certi fuerint appoſiti fines, & ſigno aliquo permanen-

nen-

nenti circumscripta confinia. Quod si secus factum fuerit, præter alias pœnas, quas arbitrio Nostro imponendas transgressor incurret, erit totum in pristinum reducendum.

11 Si pecuniam ad Ecclesiam, seu quemlibet alium locum pium in proprietate spectantem contigerit inuestiri, Rector, seu cuiusuis nominis Deputatus, priùs Nos faciat certiores. Qui aliter fecerit, sciat, quidquid successiuè in Ecclesiæ detrimentum emerserit, fore, & esse suis prauis Consilijs adscribendum.

12 Qui bona Ecclesiastica adipiscuntur, semper inquirant, an ab aliquo fuerint malitiosè subtracta: quos autem sacrilegos, vsurpatores deprehenderint, moneant, & ad eadem bona restituenda iustitia mediante compellant.

13 Vltra spatium trium annorum locari, seu quocunque modo dari prohibemus Ecclesiasticos reditus, seu prouentus. Quod si secus factum fuerit, qui transgressor extiterit, iuxta sacros canones puniatur.

14 Bona, quæ vt meliora reddantur, in Emphyteusim, seu ad tertiam generationem, obtenta ab Apostolica sede licentia conceduntur, non debent inculta contemni, & incustodita relinqui. Sed vitibus, & frugiferis arboribus consitis fiant fertiliora, & humanis vsibus magis idonea. Si quis autem, cęsis dictis arboribus, præfata bona deteriore reddiderit, præter alias pœnas, cadat ipso facto à Iure Empyteutico, & ad Ecclesiam prędia reuertantur.

15 Bona in Emphyteusim dari solita, si ad Ecclesiam reuersa fuerint, & effecta de mensa, nemini vlteriùs concedantur, nisi priùs licentia ab Apostolica Sede fuerit impe-

pe-

petrata: si verò non fuerint effecta de mensa, iterum dari liceat in Emphytheusim, non autem Nobis inconsultis.

16 Inuentaria, quæ omnium bonorum Ecclesiasticorum iniunximus peragenda, si spreta legum formula fiant, non probant, nec admittuntur in iudicio contentioso contra sacrilegos detentores. Idcirco confici volumus iuxta regulas inferiùs subiungendus, à quibus nemo sub pœnis grauissimis declinare prçsumat.

17 Inuentaria manu publici Notarij describantur, quo deficiente, suppleant Rectores Ecclesiarum, vel piorum locorom curam habentes, qui prædicta Inuentaria conscribant, adhibitis saltem tribus testibus de populo senioribus, iurium Ecclesiasticorum notitiam perfectam habentibus.

18 Diuini Nominis inuocatione præmissa, Ecclesia describatur cuius omnium bonorum stabilium, mobilium, se mouentium, fructuum, reddituum, iurium, & actionum conficiendum est inuentarium, quod non desumatur ex catasbo, aut ex veteribus monumentis, sed bonorum stabilium de nouo fiat, terminis, confinibusque recognitis, & si opus fuerit, renouatis, ad possessionem bonorum Ecclesiæ comprobandam.

19 Prius mobilia describantur, & quatenus adsint, Tabernaculum Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti, & Fons baptismalis, appositis omnibus, quæ spectant ad illorum vsum, & ornatum. Item Olea sancta, & eorundem oleorum vasa locus, & ornatus; Campanarum quoque numerus apponatur cum suis magnitudinibus, ponderibus, & caracteribus ibi notatis; item Cruces, imagines, Calices

cum

cum expressione materiæ, numeri, ponderis, & ornatus; item planetæ pluuialia, dalmaticę diaconales, subdiaconales tunicellę, indumenta linea, mappę ad apparatum altaris, & aliæ breuiores, expresso numero, & singulorum qualitatibus, & coloribus adnotatis; item missalia Breuiaria, libri omnes pro diuinis officijs recitandis, vasa, instrumenta ferrea, tabellæ, feretra, sedes Capsulæ, & reliqua omnia, quæ Sacramentorum administrationi, ac diuinorum officiorum recitationi inseruiunt, quæque ad ornandam Ecclesiam adhibentur.

20 Deinceps quæ ab Ecclesia possidentur, bona stabilia describantur, vt domus, prædia, officinæ, horti, appositis confinibus, situationibus, quantitatibus, & reditibus; & adnotetur, an reditus in vino, oleo, frumento, aut pecunia numerata consistant; & quatenus adsint bona concessa in Emphyteusim, apponantur eorum annui reditus, seu responsiones, Notarij rogati nomen, tempus, quo concessio est duratura, & conditiones, sub quibus amphyteusim est concepta; item census describantur, causa impositionis apposita, ac Notarij rogati nomine; item animalia cuiusuis speciei, appositis fructibus, qui inde percipiuntur, & conditionibus, sub quibus, quatenus alteri data fuerint, retinentur; item numerus decimarum, & à quibus Decimæ persoluuntur.

21 Absoluta descriptione bonorum, Inuentarium huiusmodi Rectoris, ac Testium subscriptione firmetur. Quòd si testes adhibiti scribere nesciat, alij substituantur, qui loco ipsorum se subscribant. Hoc autem Inuentarium ita subscriptum tradatur Notario publicandum.

De

De Sacris Reliquijs
Titulus. III.

1 SAnctorum Reliquiæ, quas Ecclesia venerationi Fidelium præcipit exponendas, post quam eorum animæ palmam triumphalem adeptæ ad Cœlestia gaudia transierunt, sunt quædam diuinæ Charitatis Insigna, quæ eò sunt imitatione digniora, quò sunt excellentiora pietate. Optimis igitur eorum, qui precesserunt, moueamur exemplis, & instruatur animus in futurum, cui prçteritorum laudata recordatione conceditur erudiri.

2 Quia verò, ad tollendam omnem superditionis maculam magna cautio est adhibenda in veneratione Reliquiarum, quæ Beatorum Martyrum, & aliorum in Cœlis cum Christo regnantium publicè debent ad vgendàm fidelium deuotionem exponi: ideo nemo, quamuis fuerit Regularis, sacras Reliquias publicet, nisi fuerint à Nobis priùs recognitæ, & approbatæ, & adhibitis in consilium Theologis, alijsque pijs Viris ex Concilio Tridentino præscriptis, fuerit cum causæ cognitione decisum, esse Reliquias huiusmodi publicæ venerationi fidelium exponendas.

3. Sanctorum Reliquias, quas habet Ecclesia recognitas, & approbatas, Parochus non permittat in priuatis domibus apud laicos conseruari, sed illas in Æde sacra retineat. Pro sacrarum Reliquiarum conseruatione congruæ magnitudinis Armarium construatur claue munitum, & serico apparatu interius exornatum.

4 Ne

4 Ne sordibus, aut pulueribus Reliquię deturpentur, custodiantur in Vasis ex argento, aut ligno inaurato constructis, in quibus per aperta foramina vitro munita se videndas exhibeant; nec sub quocunque pretextu sine Nostra licentia sub pœnis grauissimis extrahantur. Quòd si Reliquię ex insignioribus fuerint, ante ipsas saltem festiuis diebus lampades accendantur.

5 Si sacras Reliquias, quę fuerint insigniores, aut apud populum habitæ in magna veneratione, contigerit in Processionibus deportari, deferantur à digniore, induto superpelliceo, stola, ac Pluuiali. Sed deferre easdem Reliquias ad Infirmum, etiam sub pretextu cuiusuis consuetudinis, omnino prohibemus.

6 Nullus Parochus, aut quiuis alius Rector Ecclesiæ in qua Reliquiæ conseruantur etiam si fuerit Regularis sub pœna suspensionis permittat, vt quisquam, siue clericus, siue laicus, siue Vir, siue Fœmina, possit accedere ad altare, seu ad alium locum ad id præparatum, ibique per se ipsum sacras Reliquias deosculari. Quòd si quis deuotionis causa easdem Reliquias osculari exoptauerit, aliquis Sacerdos superpelliceo, stolaque indutus illas manu sua tenens ei deosculandas porrigat. Si quis autem Reliquias non sibi à prædicto Sacerdote porrectas osculari præsumpserit, si fuerit laicus, aut Clericus in minoribus ordinibus constitutus, excommunicabitur; si autem fuerit sacris initiatus, suspensionis pœnam incurret. Idem verò Sacerdos, qui alijs osculandas Reliquias exhibet, possit, si libuerit, eas per se ipsum deosculari. Capsulæ interium, aut bursæ ad pecunias quæstuandas nequaquam circumferan-

tur, nè quis putet, lucrum ex religione quæri.

7 Cereas formas, Agni innocentissimi imagine figuratas, & per Romanos Pontifices benedictas, nemo præsumat coloribus adumbrare, aut auro superimposito delinire: Sed illæ cùm Agnum purissimum, & immaculatum, qui nos, redemit suo pretioso sanguine, repræsentent, debent Santificatę cum congruenti veneratione retineri, & in sua albedinis munditie conseruari. Qui autem inuenti fuerint transgressores, vinculo excommunicationis ex Pontificijs constitutionibus innodentur.

8 Prohibet Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium, Reliquias intra Monialium Monasteria retineri; & pręcipit, vt illæ in Ecclesia exteriori custodiantur.

9 Vbi inoleuit consuetudo, vt clauis Armarij, in quò sacræ Reliquę conseruantur, à laicis teneatur, mandamus, vt idem armarium altera sera, & claue muniatur, eaque Ecclesię Rectori omnino tradatur.

De Sacris Imaginibus

Titulus IV.

1 EX vetustissima traditione receptus est mos circumferendi sacras Imagines, easque tam in sacris, quàm in profanis Ædibus retinendi. Deus enim, in quem non figitur acies oculorum, figmentis, & coloribus adumbratur: vt qui inspicitur delineatus in tabula, figuratus repręsentetur in mente, & sancti, qui cùm viuerent, virtuti-

bus

bus claruerunt, vt nunquam interitum memoriæ patiantur, in suis imaginibus reuiuiscant.

2 Imagines in Ecclesijs proferendę, & pręcipuè quę Sanctas Virgines repręsentant, modestiam imitentur, & pulchram splendidam que verecundię gemmam inspicientium animis inserant. Si quis autem ausus fuerit in Ecclesijs picturas exponere, quę possint occasionem falsi dogmatis, aut alicuius erroris in fide prębere, seu parùm congruant veritati, nec sint ex sacris scripturis, Patrumue traditionibus habitę, aut probatorum auctorum testimonio roboratę, pœnis grauissimis tam spiritualibus, quàm corporalibus abolendę.

3 Sanctorum imagines, quæ decoloratæ aliquantulum apparent ob temporis diuturnitatem, coloribus renouentur, & ad pristinam elegantiam redigantur. Quæ si detritæ, & vetustate nimium consumptæ instaurari non possint, ad profanos vsus nullatenus conuertantur, sed potius comburantur, cineribus in Sacrario repositis.

4 Imagines, quę Decretis Concilij Tridentini, aut Nostris cōstitutionibus aduersantur, quia videlicet parum congruant honestati, aut potius ad risum, quàm ad deuotionem alliciant, erunt in ipsa visitatione à Visitatoribus abolendę.

5 Parochus animaduertens, in sua Parochia piam aliquam Imaginem reperiri, ad quam pręte xtu miraculorum confluat fidelium multitudo, non audeat miracula diuulgare, pecunias à simplicibus extorquere, candelas, & vota recipere: Sed multitudinem imperitam pro viribus arceat, & rem Nobis nulla interposita mora denunciet.

9 Crucis imago, quę fuerat ad fontes pessima nece de-

decorandos inuenta, nunc tanquam signum nostræ salutis erigitur, & colitur tanquam Christianę militiæ salutare Vexillum. Igitur vbique locorum in turribus, in foris, in ædibus extollatur, & publicè proponatur ad Christiani Nominis gloriam propagandam. Quòd si contigerit, eandem Crucis imaginem in locis contemptibilibus reperiri, protinus aboleri, & amoueri pręcipimus.

7 Cùm nulla virtus, seu diuinitas imaginibus insit propter quam illis cultus, seu veneratio debeatur, Parochus populum doceat, salutationem, seu illam honorariam adorationem in eos dirigi, quos imagines repręsentant.

8 Nullo modo erit permittendum, vt in pauimentis, sordidisque locis vlla sacra imago pingatur, aut collocetur; & si qua adhuc in huiusmodi locis depicta, aut posita fuerit, eam statim deleri, amouerique mandamus. In Tabernis autem, alijsque similibus locis, vbi nulla haberi solet ratio sanctitatis, sacras imagines pro signo ad hospites inuitandos suspendi prohibemus.

9 In depingendis Sanctorum, aut Sanctarum Iconibus, nemo audeat eorum, vel earum figuras ex hominum, vel mulierum, siue viuorum, siue mortuorum effigie expressas desumere.

10 Atque vt omnis derisio, & scandali materia in rebus sacris tollatur, prohibemus, in aliquo siue sacro, siue profano loco nostræ iurisdictioni subiecto, Christi Redemptoris passionem, aut alicuius Sancti Martyrium, aut factum quodcunque à sacra historia desumptum, repręsentari, sine Nostra, vel Vicarij Nostri Generalis licentia in scriptis obtinenda. Cuius nostræ constitutionis violatores grauiter Nostro arbitrio punientur.

De

De Indulgentijs.

Titulus V.

1 STipendia spiritualia, quæ ab œrario Romanæ munificentię transeunt ad fideles, multum proficiunt, ad minuendam iustitię Diuinę vindictam: nam qui temporario igne torquentur, si particeps fiant cęlestium gratiarum, vltionem subeunt iudicialis acrimonię mitiorem. Ideo, qui pauperiem sui spiritus subleuare contendit, effusis pręcibus confugiat ad Deum, & Spiritualium donorum largitionę ditescat.

2 Parochos admonemus, vt quoties per dispensationem Romani Pontificis spiritualia beneficia conceduntur, toties verbi Dei prædicationem adhibeant, & populum doceant, quas præces debeat vnusquisque profundere ad indulgentias consequendas, aut quibus pietatis operibus obstringatur.

3 Litterę Apostolicę, in quibus indulgentiarum concessio continetur non affigeantur in capsulis publicè ad eleemosynam colligendam expositis: sed potiùs in altari, aut alibi collocentur, ita vt videantur affigi, non ad pecuniam extorquendam, sed ad indulgentias diuulgandas.

4 Nemo, etiam Regularis, audeat in Nostra Diœcesi Indulgentias à sancta Sede obtentas publicare, nisi licentiam inscriptis à Nobis, aut à Vicario nostro Generali priùs impetrauerit.

5 Atque, vt omnium, quæ post hac in Nostra Diœcesi

cesi futurę sunt, indulgentiarum certa ac plena notitia possit haberi, simulque sciatur, quandiu sint duraturæ: Cancellario nostro Episcopali præcipimus, vt cum primùm Nos quamlibet indulgentiam recognouerimus, atque approbauerimus, eam ipse in proprio, separatoque libro diligenter adnotandam curet.

De Exequijs, & Sepulturis

Titulus VI.

1 EX mortis meditatione molestiam capit, quisquis vitam ducit sceleribus implicatam: sed iustus pręsentis vitę finem contemplans, hilaritate perfunditur, quia futurę felicitatis consumationem expectat. Qui ergo ab interitus sui recordatione concutitur, & vt gaudium de horrore concipiat, pedem à culpis retrahat, seque ad spem erigat ęternę securitatis.

2 Ex laudabili, & approbata consuetudine, quam Nos in Ciuitate, & Diœcesi pręcipimus retineri, prima hora noctis elapsa Parochialium Ecclesiarum Campanę pulsentur, vt fideles audito huiusmodi signo se morituros intelligant, & pro ijs, qui in loco purgationis existunt, offerre orationum suffragia recordentur.

3 Si Summum Romanum Pontificem, soluere debitum mortalitati contigerit, solemni ritu in Cathedrali celebrentur exequię: vt qui viuus thesauros Diuinę benignitatis impertijt, aditum sibi morienti videat aperiri ad sempiter-

piternam beatorum spirituum stationem. Pari ratione, si Ecclesia Montisalti, cuius regimini, meritis licèt imparibus, pręsidemus, remanserit viduata Pastore, Missarum solemnia peragantur; & Episcopum ad æternæ felicitatis gaudia properantem religiosa cleri suffragia comittentur.

4 Singulis annis post diem Commemorationis omnium Defunctorum solemni ritu toto Clero spectante in Cathedrali, & priuatim in alijs Ecclesijs missarum sacrificia pro defunctis Episcopis, Dignitatibus, Canonicis, Sacerdotibus, & Clericis celebrentur: vt qui viuentes Altissimo placuerunt, redditi lucis ęternę consortio pro nobis Diuinę maiestatis clementiam implorent.

5 Cadauera prius quam sepulturæ tradantur, viginti saltem horas remaneant super terram: imò si repentino interitu fuerint extincta, ad vigesimam quartam vsque horam inhumata retineantur. Quod si Parochus aliter fieri permiserit, decem scutorum pœna luet.

6 Parochi, & Sacerdotes, vbi agitur de danda pauperum cadaueribus sepultura, statim opus pietatis adimpleant; imò vocati, gratis accurrant, & funeris solemnia peragant.

7 Nemini liceat sub pœna interdicti absque Nostra licentia nouam facere sepulturam, quæ ex constitutione Beati Pij Quinti non nisi in tumbis profundis, & altitudinem magnam habentibus construatur; non sub altari, aut sub eius gradibus fiat; & quatenus adsit, erutis defunctorum ossibus, repleatur.

8 Sepulturæ suis lapidibus obstruantur, qui neque fracti sint, neque altiores Ecclesiæ pauimento. Sed lapides hu-

huiusmodi sculpere ad effingendas sacras imagines, prohibemus.

9 Cùm electio sepulturæ humano consilio remittatur, liberè facienda proponitur, nulla lege necessitatis vrgente. Propterea nullus sæcularis, aut Regularis audeat aliquem ad sepulturam in suis Ecclesijs eligendam inducere, illumque obligatione constringere, voto, aut iure iurando munita. Quod si secus factum fuerit huiusmodi promissa duximus infirmanda; & qui contra formam Sacrorum Canonum spoponderunt, nihil omnino reddere teneantur.

10 Cadauera, quæ sepelienda in Ecclesijs detinentur, à Curia sæculari prohibemus sine Nostra licentia inspici, & recognosci; & quatenus sepulturæ tradita fuerint, extrahi, & exhumari. Quod si secus factum fuerit, ipso facto anathematis gladio feriatur, qui in hac parte deliquerit; & Rector, aut Custos Ecclesiæ, qui prefata attentari permiserit, excommunicationi subiaceat.

11 Sed quibus ob aliquod crimen nefas est exhibere Sanctissima Ecclesiæ Sacramenta, ijsdem sepultura Ecclesiastica denegatur. Et propterea nemo audeat in Ecclesia, vel Cæmeterio aliquem sepelire, qui sit excommunicatus, interdictus, hæreticus, blasphemus, publicus vsurarius, fur, raptor, latro, qui sibi mortem ex desperatione conscicuerit qui in vitæ periculo constitutus nullum signum doloris aut contritionis ostenderit, qui non sumpserit Sanctissimam Eucharistiam in Paschate; qui cùm publicè votum paupertatis emiserit, repertus fuerit aliquid in proprium possedisse; qui crimina scandalosa, aut enormia peccata commiserit, seu qui perditè vixerit grauioribus sceleribus

inuo-

inuolutus. Sed prædicti omnes, si proximo satisfecisse, & pœnitentiam de suis excessibus peregisse constiterit, recipiantur in gremium piæ Matris Ecclesiæ, & ad sepulturam Ecclesiasticam admittantur.

12 Cadauera prædictorum, qui propter excessus, & enormia scelera Ecclesiastica sepultura priuantur, sepeliantur in loco ita ab æde sacra distanti, vt voces canentium, & psallentium Clericorum cantica audiri non possint. Quod si quis aliquem excommunicatum Ecclesiasticæ tradiderit sepulturæ, sententiam excommunicationis incurrat, qua tandiu innodatus existat, quandiu spreuerit absolutionis beneficium obtinere, & exhumare neglexerit alibi relinquenda huiusmodi cadauera damnatorum.

13 Ad sepelienda Cadauera prohibemus pauimenta vastari, & loculos pro tumulandis corporibus toties excauari, quoties eadem Cadauera sepeliri contigerit. Quod cùm Pontificijs sanctionibus aduersetur, quæ tumbas profundas præcipiunt construendas, tolerari non debet.

14 Quia verò quidam abusus irrepsit, vt propinqui, aut hæredes Defunctorum soleant quibusdam in locis Ecclesiam defraudare recognitione licèt exigua, quæ eidem Ecclesiæ in funeribus, aut exequijs celebrandis debetur; & idcirco retinere sibi non erubescant dimidium Cereorum, qui adhibiti fuerunt in efferendo, & comitando ad Ecclesiam Cadauere: statuimus, ac decernimus, vt in futurum omnes prorsus cerei, ac intorticia sine vlla diminutione eidem Ecclesiæ, in qua Cadauer est sepeliendum, relinquantur. Decem autem scutorum pœnam imponimus ijs Parochis, alijsque Rectoribus Ecclesiarum, qui pactum

Q cum

cum hæredibus, aut propinquis defunctorum ineunt, vt pars vlla quamuis minima ex ijsdem cereis remittatur. Interim, quod ad Quartam, quam vocant funeralem, attinet, nihil hac nostra constitutione in nouatum esse volumus.

15 In morte, aut funere Infantium Campanæ non alicuius moestitiæ, sed letitiæ signum, cùm pulsantur, exhibeant.

16 Si quis Defunctus reperietur cum laqueo circa collum inuoluto, aut in puteum proiectus, aut alia simili ratione extinctus, Ecclesiastica priuetur Sepultura: dummodo ex aliqua probabili coniectura non innotescat, huius generis mortem aut casu aliquo fortuito, aut ex dementia, aut à vi ab alijs illata prouenisse.

17 Infantium Corpora, qui sine baptismate decesserunt, prope Ecclesiam, aut in loco non sacro sepeliantur. Fœtus autem ex matris vtero nondum egressus, tanquam eiusdem Matris viscerum pars, vna cum ipsa Matre sepeliendus erit.

16 Sine Nostra, vel nostrorum Vicariorum licentia nemo audeat cadauera ad sepulturam efferre ante ortum aut post occasum solis. Postea verò quam Cadauer tumulo inclusum est, nullo pacto liceat eundem tumulum aperire, vt consanguineorum, familiarium, aut amicorum desiderio satisfiat.

19 Præcipimus etiam, vt in omnibus Parochialibus Ecclesijs, vbi non sunt sepulturæ ab alijs distinctæ ad Sacerdotum, atque Infantium corpora sepelienda, quam primùm construantur.

SESSIO QVINTA

De Veneratione Dierum Festorum, & de Ieiunijs.

Titulus. I.

1 FEstorum dierum solemnia, quibus fideles ad recolenda diuinæ liberalitatis beneficia promouentur, si piè ac religiosè seruentur, conferunt Sanctæ memoriæ, quæ singulis annis beatissimorum Spirituum in Cælis cum Christo regnantium præstantior reuiuiscit. Quare pia Mater Ecclesia solemnitates instituit Sanctorum, quos eo impensiùs veneramur, quò præclarioribus ipsi, cùm viuerent, meritis floruerunt. Quoties igitur infra annum festa recurrunt, toties fideles ad diuinæ legis obseruantiam inflammentur; & Sanctos, quorum felicitati gratulantur, eò studiosiùs colant, quò Deo gratiores, & ad spiritualia dona impetranda efficaciores esse intelligunt.

2 Qui diem festum colunt, ita à seruilibus operibus ferientur, vt etiam à luxibus, ab ebrietatibus, à ludis, & à detractionibus abstinere quàm diligentissimè studeant. Mulieres autem, quę recurrentibus dierum festorum solemnitatibus exeunt, velato capite prodeant, verecundiam teneant in incessu, & induantur effigiem, quę sit norma disciplinę, & specimen honestatis.

3 Dominicis, festisque diebus, quos Sancta Ecclesia obseruari præcepit, nemini liceat artes fabriles, aut mechanicas exercere; triticum, vinum, oleum, aliaque similia vehere, aut asportare; onera iumentis imponere, boues curribus aut aratris alligare, aliaue peragere, quæ non sine industria & labore præstantur, etiamsi fierent nulla mercede recepta. Sed qui mules clitellis stratos ducunt, quamuis nequeant die festo iter de nouo suscipere, illud tamen, quod iam susceperunt, prosequantur.

4 Molas frumentarias, & olearias die festo aperire nemo præsumat; & opifices cuiusuis generis claudant officinas: ea tamen fieri permittantur, quę tamquam necessaria humanis vsibus exiguntur. Sed in huiusmodi casibus præfata fiant occultò, clausa scilicet apotheca, soloque ostiolo reserato.

5 Quia verò eò processit irreligiosa non nullorum hominum audacia, vt dies festos, qui Deo optimo maximo, seu Beatissimæ Virgini Mariæ, aut alij sanctis dicati sunt, indigne transigant inter choreas, ex quibus multa vitiorum genera, & sępè etiam rixæ, inimicitiæ, accædes originem habent: propterea Nos hisce malis consulturi, choreas, aut saltationes huiusmodi Dominicis, festisque diebus, ferijs sextis totius anni, ac tempore Aduentus, & Quadragesimæ vllo modo exerceri prohibemus; sub pœna decem aureorum pro qualibet persona, quæ constitutionem hanc Nostram violare præsumsperit, & qualibet vice, qua id attentari contigerit, alijsque pœnis, quas Nostro reseruamus arbitrio. Quas etiam pœnas incurret quicunque in eisdem choreis citharam, aut aliud musicale instrumentum

pul-

pulſauerit; duplicataſque luere debebit Dominus illarum Ædium, intra quas chorea exercebitur. Sub ijſdem autem pœnis hæc tripudia prope Eccleſias, dum præſertim in illis diuina officia vel peraguntur, vel recitantur, nullo prorſus die fieri permittantur.

6 Feſtiuis diebus iudiciorum ſtrepitus conquieſcant. Exequutiones inuitis creditoribus ſuſpendantur, exceptis caſibus à iure permiſſis; neque contractus cuiusuis generis celebrentur.

7 Nemo Comœdias, aut ſcenicos ludos exerceat; à prꝗſtigijs, ſeu deluſionibus circulatores, & nebulones abſtineant; nec vendendum quidquam exponant, etiam ſub ſpecie medicinæ.

8 Omnes die feſto Miſſæ Sacrificio interſint: nec excuſantur Puellæ, quæ inceptis denuncitionibus ſe prꝗparant ad matrimonium contrahendum; nec Viduꝗ, quarum coniuges proximè deceſſerunt. Quòd ſi deprauatꝗ conſuetudinis vſus inualuit, paſtorali Parochorum ſolicitudine corrigatur.

9 Qui feſtum auſi fuerint ſeruilibus operibus violare, illam pecuniꝗ ſummam, pauperibus erogandam ſoluere teneantur, quꝗ arbitrij noſtri diſcretione ſucceſſiuè taxabitur, quarta parte pro Delatore, ſeu Accuſatore retenta. Imò cùm huius diuini præcepti obſeruantiam in Noſtra Diœceſi nimium contemni cognouerimus, Vicarijs Noſtris Foraneis, præcipimus, vt in hac parte vigilantiores, ſe præbeant, neque vnquam violari feſta permittant. Quod ſi negligentiùs agent, feſtorumque dierum violatoribus conniuiſſe deprehendentur, pœnam quinque ſcutorum,

rum, aliasque maiores, censurarum etiam, si id opus esse Nobis videbitur, subibunt.

10 Qui ieiunare tenentur, temporibus constitutis à iure non solum à carnibus, verum etiam ab ouis, lacte, butiro, & caseo, quæ sementinam carnis originem trahunt, abstineant. Adueniente meridie leguminibus, oleribus, piscibus, aut huiusmodi alijs cibis ventris indigentiæ satisfaciant: vespere autem ea moderatione refectionem percipiant, vt corpus nec extendatur ingluuie, nec propter nimiam inediam resolutis viribus eneruetur. Qui secus fecerint, & ieiunium adulterare præsumpserint cibos vetitos comedendo, sanctissimo Inquisitionis officio subiacere se sciant.

11 Christifideles Quadragesimali tempore durante Apostolicis præceptis obediant, & ventri carnium alimento subtracto ieiunent. Sed qui Medici fide à nobis, aut à nostris Vicarijs subscripta probauerit, se propter infirmam valetudinem abstinentiam ab Ecclesia præscriptam seruare non posse, salubriores adhibeat cibos, & peritorum consilijs acquiescat: cum nihil à Nobis diuina bonitas exigat, quod nostras vires excedat.

12 Temporibus his, quibus iniungitur fidelibus obligatio ieiunandi, nemini liceat sine Nostra licentia carnes vendere, aut illas venales exponere: sed quæ ægrotantibus conceduntur, secretò tradantur, clausis scilicet foribus officinæ, & solo ostiolo reserato: tales autem esse debeant, vt conferant saluti, atque illis tantummodo dentur, qui licentia in scriptis exhibita sibi licere docuerint carnem comedere, cibosque vetitos adhibere.

13 Toto tempore Quadragesimali quilibet abstineat

ab

ab aucupio, & à venatione ferarum: nam quando interdicitur carne nutriri, carnem insectari non licet. Qui verò ad escam ægrotantibus præparandam consenserint venationibus occupari, à Nobis, vel à Nostro Vicario Generali licentiam in scriptis concedendam obtineant.

14 Et quia media nocte ante diem Cinerum sunt inchoanda Ieiunia, vt huiusmodi tempus omnibus innotescat, Parochi, seu Sacristæ horæ dimidio ante mediam noctem pulsare campanas incipiant, & desistant, vbi noctis medietas aduenerit. Cessante igitur sono, cesset ebrietas, cessent conuiuia, cesset tripudiorum insania.

15 Contingit aliquando, vt cum nonnulli ignorent, aut memoria non teneant præfinitos, certosque dies, quibus est ieiunandum, huic Ecclesiæ præcepto satisfacere non possint. Nos igitur, ad hanc vel ignorationem, vel obliuionem tollendam, præcipimus, ac mandamus, vt in omnibus parochialibus Ecclesijs circa primam horam illius noctis, quæ vigiliam antecedit, post quam per campanam maiorem consuetum illud signum datum fuerit, quo populus ad orandum pro fidelibus Defunctis inuitatur, eadem, vel alia campana vi summa, plenisque ictibus per dimidium quadrantis horæ pulsetur, vnde fideles admoneantur, sibi postridie esse ieiunandum. Qua in re exequenda, si Parochi inobedientes fuerint, ij præsertim, qui diebus Dominicis inter missarum solemnia vigilias occursuras non indicunt, trium aureorum pœnam pro qualibet omissione persoluent.

Festa,

Festa, & Ieiunia ex præcepto colenda.

MENSE IANVARIO.
Die 1. *Circumcisionis Domini.*
6. *Epiphaniæ.*
MENSE FEBRVARIO.
2. *Purificatio Beatæ M.V.*
23. *Vigilia.*
24. *Matthiæ Apostoli.*
MENSE MARTIO.
19. *S. Ioseph Confessoris Sponsi B.M.V.*
25. *Annunciationis B. M.V.*
MENSE APRILI.

MENSE MAIO.
1. *Sanctissimorum Philippi, & Iacobi Apostolorum.*
3. *Inuentionis S. Crucis.*
MENSE IVNIO.
15. *Sancti VITI Martyris Patroni in Ciuitate, & Diœcesi.*
23. *Vigilia.*
24. *Natiuitatis Sancti Ioannis Baptistæ.*
28. *Vigilia.*
29. *SS. Petri, & Pauli Apostolorum.*

MENSE IVLIO.
24. *Vigilia.*
25. *Sancti Iacobi Apostoli*
26. *S. Annæ Matris B.V.M.*
MENSE AVGVSTO.
9 *Vigilia.*
10. *Sancti Laurentij Martyris.*
14. *Vigilia.*
15. *Assumptionis B.M.V.*
24. *Vigilia.*
25. *S. Bartolomei Apostoli.*
MENSE SEPTEMBRI.
8. *Natiuitatis B.V.M.*
20. *Vigilia.*
21. *Matthæi Apostoli, & Euangelistæ.*
29. *Dedicationis S. Michaelis Archangeli.*
MENSE OCTOBRI.
24. *Vigilia.*
28. *Sanctorum Simonis & Iudæ Apostolorum.*
31. *Vigilia.*
MENSE NOVEMBRI.
Die 1. *Omnium Sanctorum.*

29. *Vi-*

29. *Vigilia.*
30. *Sancti Andreæ Apostoli.*

MENSE DECEMBRI.

10. *Translatio Almæ Domus Lauretanæ Prouinciæ Tutelaris.*
20. *Vigilia.*
21. *Sancti Thomæ Apostoli.*
24. *Vigilia.*
25. *Natiuitatis Domini.*
26. *Sancti Stephani Prothomartyris.*
27. *Sancti Ioannis Apostoli, & Euangelistæ.*
28. *Sanctorum Innocentium.*
31. *Sancti Siluestri Papæ, & Confessoris.*

FESTA MOBILIA.

Dominicæ totius anni.
Pascha Resurrectionis cum duobus sequentibus diebus.
Ascensio Domini.
Pentecostes cum duobus sequentibus diebus.
Solemnitas Corporis Christi.

VIGILIÆ.

Quadragesima.
Quatuor anni tempora.
Vigilia Pentecostes.

De Processionibus.

Titulus II.

1 PVblicæ supplicationes, & preces quæ aliquoties per annum fidelibus indicuntur, si fuerint cum religiosa grauitate coniunctæ, Deum ad largiendum trahunt, & plurima dona ab ærario diuinæ liberalitatis extorquent: vnde qui orare consueuit, omnia experitur sibi postulata concedi. Nemo igitur in oratione deficiat, quę si vitio careat, cęlorum intima penetrans, vacua non redibit.

2 Si pro necessitatibus incumbentibus, aut pro gratijs

Altiſſimo perſoluendis ſit peragenda Proceſſio, Parochus pridie eius diei populum ſibi commiſſum admoneat, vt vnuſquiſque cum ardore deuotionis accedat, & edoceat, Dominum aliquando multiplicatis interceſſoribus elargiri, quod antea vni, aut alteri denegauit; ſi prȩſertim qui interſunt, omni clamore, & garrulitate depoſita, pietatem, humilitatem, ac modeſtiam exhibeant.

3 Clerici Noſtræ iuriſditioni ſubiecti procȩſſionibus intereſſe teneantur. Igitur vocati conueniant, & induti veſtibus talaribus, ſuperpelliceis, & biretis, ſub Cruce procedant: ſed temporis iniurijs ſȩuientibus, pileum permittimus adhiberi. Si quis autem proceſſionibus non interfuerit, ſcuti vnius pœna pro qualibet vicȩ multabitur.

4 Etiam Regulares ex prȩſcripto Concilij Tridentini vnà cum Clero, & confraternitatibus laicorum aduenįant, vt quò plures fuerint in Dei nomine congregati, eò magis exterior religio propagetur, & pietas augeatur. Sed ſi venire neglexerint, qui de iure proceſſionibus intereſſe tenentur, tantò ſeueriùs punientur, quantò maiorem ſcandali occaſionem prȩbuerint.

5 Motus, & geſtus ita in proceſſionibus componantur, vt nihil inordinatum, nihil indecorum exhibeant. Oculi à curioſis auertantur aſpectibus, & lingua religioſo ſilentio compeſcatur. Omnes modeſtiam teneant, & bini in ſignum vnionis, ac geminæ charitatis incedant; recitent hymnos, & cantica, & nunquam ab oratione deficiant.

6 Repræſentationum ſpectacula, quæ ſpecie vanæ curioſitatis oblectant, & ſalubriorem animæ refectionem impediunt, fieri in proceſſionibus prohibemus. Propterea populo

pulo

pulo procedente nemo huiusmodi actiones inspiciendas exhibeat, quæ plerumque risum mouent, ac mentem ad aliena diuertunt.

7 Dum processionis series incipit pertransire, claudant officinas Artifices, & ab operibus seruilibus desistentes orationibus vacent. Aulæa parietibus affigantur, ac tapetia fenestras exornent. Sed singulis annis recurrente festiuitate Corporis Christi, qua Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum fidelibus procedentibus per vias publicas deportatur; & redeunte festo Pentecostes, in quo Sacrosanctæ Reliquiæ à Sixto Quinto felicis recordationis huic Ciuitati concessę circumducendæ solemniter extrahuntur, instruatur elegantior apparatus, & pauimenta viarum, per quas ex antiqua consuetudine processio est transitura, herbis virentibus, & odoratis floribus conspergantur.

8 Sed quia nonnulli, qui intersunt publicis pręcibus, non expectato fine discedunt, & functionem huiusmodi derelinquunt: ideò monemus omnes, etiam Regulares, vt sub pœnis Nostro arbitrio imponendis, ad Ecclesiam, in qua processio est terminanda perueniant; ibique vsque ad totius operis absolutionem expectent, ex Decreto Sacræ Congregationis rituum.

9 Interdiu semper, idest solis luce durante, faciendæ sunt processiones: at vbi consuetudo inoleuit, vt nocte ferię quintæ in Cœna Domini; aut Parasceues aliqua processio peragatur, fieri etiam in posterum permittimus, dummodo Mulieres in ea nullo modo intersint, neque Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum deferatur: Fideles etiam admoneantur, vt procedentes humilitatem, atque modestiam omnino retineant.

10 Pręter consuetas, approbatasque processiones, nouas alias quacunque de causa, seu quauis occasione instituere nemo præsumat, nisi à Nobis, aut à Generali nostro Vicario expressam licentiam impetrauerit.

11 Regulares verò extra Monasteriorum claustra, seu circa suarum Ecclesiarum, aut monasteriorum muros aliquam processionem etiam Sanctissimi Rosarij peragere nunquam audeant, nisi Nostram aut Vicarij nostri Generalis facultatem fuerint assequuti.

12 Inhęrentes Sacrosancti Concilij Tridentini constitutionibus, & noui Ritualis Romani pręscripto, sub grauissimis pœnis, quas Nostro arbitrio reseruatas esse volumus, prohibemus, nè occasione vllius processionis, aut festiuitatis comestibilia quæstuentur, aut quocunque alio modo pręparentur, vt ex illis ientacula Clēro siue Seculari, siue Regulari, siue Confratribus societatum, siue alijs quibuscunque personis exhibeantur.

De Decimis.

Titulus. III.

1 DEcimæ, quas Deus sibi, suorumque Ministrorum vsibus reseruauit, non sunt auarè, dolosèue subducendę: fieri enim facilè poteſt, vt ij, qui primitias Deo debitas subtrahunt, agros ipsos, vnde lucrum sibi quærunt sterilescere sentiant; & præter animarum dispendia, quę sine vlla dubitatione subeunt, multa etiam alia temporalia incom-

commoda, Deo permittente, patiantur.

2 Parochi populum moneant, vt decimas integrè, & ſine mora perſoluat: nè moroſi, auarique debitores iuxta Tridentinę Synodi diſpoſitionem excommunicationis gladio feriantur. In hac tamen monitione Parochi ita ſe gerant, vt videantur Eccleſiarum ſuarum potiùs iura tueri, & obſeruantiam diuinę legis exigere, quàm propriæ vtilitati ſtudere.

3 Et, cùm propter lites, quę ſuſcitantur, decimarum exactio difficilis, ac laborioſa reddatur, Noſtræ partes erunt inſiſtere, vt huiuſmodi controuerſię opportunis conſtitutionibus eò citius dirimantur, quò periculoſiùs per ambages, & circuitus protrahuntur. Igitur ad inſtantiam Parochi aſſerentis, ſe tribus diebus feſtiuis trinam monitionem inter miſſarum ſolemnia prę miſiſſe, abſque alia citatione mandatum contra quoſcunque pro decimis exigi ſolitis, & non ſolutis à Noſtro Vicario relaxetur, & ad ſoluendum abſque alia figura iudicij debitor compellatur.

4 Non eximuntur Clerici à ſolutione decimarum illorum prędiorum, quę ſeculari titulo poſſident.

5 Predia, quę Regulares acquirunt, obnoxia ſunt ſolutioni decimarum, quemadmodum Sacra Concilij congregregatio cenſuit.

6 Confeſſarij omnes, etiam Regulares, Pœnitentes hortentur ad plenam decimarum ſolutionem; eoſque ſedulò admoneant, fiſco ſe daturos, quod Chriſto ſubtraxerint. Illis verò, quos in hac parte delinquentes compererint, abſolutionem Sacramentalem tandiù ſuſpendant, quoad integrè, ſi fieri potuerit, ſatisfecerint.

7 Cre-

7 Creditor decimarum abſtineat debitoribus indulgere, eiſque decimas non ſolutas remittere: nè, qui condonat, prȩiudicium ſucceſſoribus inferat; ſed ſi charitatis officium exercere voluerit, decimarum ſolutione ſequuta, illas ſubuentiones exhibeat, quas ei pietas ſuggeſſerit.

8 Conuentiones, pacta, aut compoſitiones ſuper ſolutione decimarum ſine Noſtra licentia fieri prohibemus: quæ autem minùs legitimè factæ fuerint irritas eſſe volumus.

9 Aſſerens, ſe nunquam ſoluiſſe, non audiatur, neque contra Eccleſiaſticam libertatem (quamuis tempus immemorabile præceſſiſſet) prȩſcriptionis titulo ſeſe defendere valeat.

10 Solutio decimarum in frumento, ac cȩteris fructibus receptibilibus fiat. Qui autem quisquilias, ſeu vltimas reliquias offerunt, ad ſoluendas primitias, à Nobis, aut à noſtris Vicarijs compellantur.

11 Decimæ ſoluantur ex illis omnibus rebus, ex quibus ſolui conſueuerunt, in hac enim parte conſuetudini omnino ſtandum eſſe decernimus.

12 Quilibet Rector beneficij Eccleſiaſtici, cui decimæ debentur, decimarium codicem conficiat in Parochialis Eccleſiæ archiuio conſeruandum, eiuſque exemplum infra ſex menſes poſtquam hæc Synodus fuerit publicata, & impreſſa in Noſtram Cancellariam deferre, in eaque relinquere teneatur.

13 Sicubi conſuetudo recepta eſt partiendi decimas in ipſis prædijs, eam omnino retineri mandamus. Itaque Decimarij paulo ante, quàm fruges, aut fructus aſporten-

tur,

tur, eos moneant, quibus decimæ debentur, eisque ex integris fructibus, nulla parte siue pro collectis, siue pro mercedibus operariorum siue pro semente detracta, Decimas persoluant: vbi autem abusus inoleuit, quod decimæ soluantur in Vuis, omnino tollatur, & soluantur in musto.

14 Et quia cupimus, hoc de soluendis decimis præceptum, quàm exactissimè obseruari, omnibus Decimantibus præcipimus, vt singulis annis intra mensem octobris transmittant ad Nos, aut ad nostrum Generalem Vicarium notulam illorum, qui decimas soluere debebant, neque tamen adhuc soluerunt: vt eorum pertinaciæ omni iuris remedio prospiciamus.

15 Vtilissimum etiam ducimus, hoc idem præceptum ad populorum memoriam aliquoties in anno redigere. Præcipimus igitur omnibus Parochis, vt singulis annis secunda Dominica Iulij, & secunda Dominica Septembris hunc de Decimis titulum in vernaculam linguam traductum publicè inter missarum solemnia per extensum legant, ac recitent, siue legi, ac recitari faciant.

De Legatis Pijs.

Titulus. IV.

1 QVI fiunt ex adeptis hæreditatibus ditiores, memores beneficiorum existant, & ea, adquę ex testamento tenentur, omni postposita mora meminerint adimplere. Sed si fuerint neglectis vltimis voluntatibus durio-

riores, se sciant, eò seueriùs puniendos, quò maius ingrati animi vitium contraxerunt.

2 Qui testantur, & bona sua relinquunt pijs vsibus eroganda, aliquando fraudantur propter auaritiam propinquorum: vnde animę, quæ purgatorio expiantur igne, eò seriùs euadunt, quò longiùs suffragia protrahuntur. Propterea pastoralis solicitudinis cura Nos admonet, vt ijs, quibus ob exequutorum malitiam, aut Notariorum incuriam sempiternæ beatitudinis prœmia differuntur, congruo iuris remedio succurramus. Præsenti igitur decreto statuimus, vt omnes Notarij, Cancellarij, Parochi, eorumque Vicarij, atque alij quicunque, qui de huiusmodi pijs dispositionibus in Nostra Diœcesi ante hoc tempus rogati sunt, aut quaslibet scripturas confecerunt, siue post hac rogabuntur, scripturasque conficient, infra duos menses post huiusce Synodi publicationem, quoad pręteritas, & infra quindecim dies, quoad futuras, si fient per viam vltimę voluntatis, si verò inter viuos, terminus computabitur à die, in quem exequutio, aut solutio cadit, notam huiusmodi scripturarum ad nostrum Vicarium Generalem transmittere teneantur, vt in Episcopali cancellaria reponatur, ac conseruetur, & legatorum exequutio quàm primum procuretur. Si quis autem in hac parte negligens extiterit, decem scutorum pœna pro qualibet vice multabitur; & si in contumacia perseuerauerit, excommunicationis vinculo innodabitur. Insuper sub eadem excommunicationis pœna pręcipimus, vt quęuis alia persona, quę alicuius legati pij nondum adimpleti notitiam habet, Vicarium Nostrum Generalem in Ciuitate, & Foraneum in Diœcesi certiorem faciat.

3 Qui

3 Qui ex teſtamento, codicillo, donatione, ſeu quouis alio modo tenentur voluntatem fidelium defunctorum implere, onus huiuſmodi ſubire nulla interpoſita mora procurent. Quòd ſi tam ingrati, auarique fuerint, vt in pręiudicium eorum, qui in purgatorio cruciantur, aliena retinere pręſumant, pœnis grauiſſimis ſubiacebunt: vt qui interitum animę paruipendunt, vindice iuſtitię gladio reſipiſcant.

4 Sed vt memoria legatorum, quę ad fauorem pię cauſę à decedentibus relinquuntur, ad poſteros tranſmittatur, ſtatim ſequuta morte Teſtatoris, ab adminiſtratoribus, ſeu Rectoribus Eccleſiarum deſcribantur in libro, adiectis oneribus, & conditionibus, ſi quę ſint, nomine, cognomine, & Patria teſtatoris, ac Notarij, ſeu Curati rogati, nec non die, menſe, & anno conditi teſtamenti, & annuatim oneris adimpleti. Liber autem huiuſmodi fideliter in archiuio conſeruetur, nec inde ſub pœna carceris extrahatur. Idem ſeruetur in contractibus deſcribendis, qui ad fauorem pię cauſę celebrantur.

5 Quidquid ad fauorem pię cauſę relinquitur, teſtatoris volontate ſeruata, Eccleſię, ſeu pauperibus applicetur, nec in alium vſum abſque auctoritate Sedis Apoſtolicę conuertatur.

6 Rectores, ſeu adminiſtratores legata pio vſui relicta, ſtatim ab hęredibus exigant; & quos animaduerterint duriores, ſoluere cogant, opportunum Iudicis officium implorantes. Qui ſi indulgere alterius auaritię maluerint, quàm ſuarum Eccleſiarum vtilitatibus inuigilare, omnia damna de proprio reſarcire teneantur.

De Monte Pietatis.

Titulus V.

1 PEcuniæ, quæ pauperum vſibus congeruntur, non ſunt propter auaritiam ſubtrahendę: nè, qui ſitiunt ſanguinem egenorum, iudicialem ſubeant vltionem, & acrimoniam Diuinę indignationis incurrant. Ideo, qui ſacro Monti pręficitur, pauperibus vbera pietatis admoueat, & pecuniam ijſdem mutuò concedendam omni ſolicitudine, ac fidelitate cuſtodiat.

2 Pecunia Montis pietatis verè egenis, & miſerabilibus perſonis mutuò concedatur, nec abſque Sedis Apoſtolicę facultate in alios vſus, quàm pauperum conuertatur. Qui ſecus fecerit, & pecuniam huiuſmodi, ſeu aliam ſub forma depoſiti Cuſtodi commiſſam ſubtraxerit; aut eandem, etiam cum obligatione infra breue tempus reſtituendi, ſuſceperit ex conſtitutione felicis recordationis Pauli Papæ Quinti ipſo facto excommunicationem incurrat. Quam conſtitutionem idem ſummus Pontifex in loco publico Montis huiuſmodi præcipit affigendam, pro vt Nos mandamus affigi, & affixam perpetuò retineri.

3 Bona mobilia in pignus à debitoribus tradita in loco ſolito quàm fideliſſimè ſeruentur, nec inde ſub pœnis grauiſſimis extrahantur. Quòd ſi Depoſitarius eadem bona ſuis vſibus applicauerit, aut alteri vtenda conceſſerit, eidem excommunicationi ipſo facto incurrendæ ſubiaceat.

4 Vltrà ſummam ſcutorum trium dari mutuò pecu-

niam

niam prohibemus. Pignora verò, quę pro securitate Montis pietatis à Mutuatarijs relinquuntur, duplicatum valorem excedant pecuniæ mutuatę. Non recipiantur cuiuscuis generis arma, nec quæuis alia bona, quę rubigine, aut tineis consumuntnr.

5 Custos Montis pietatis bis in anno excussis pulueribus pignora recognoscat, & per se ipsum munus exerceat. Quòd si alium substituerit, sciat, se de illius mala administratione teneri.

6 Singulis annis pignora, quæ vltra triennium in Monte permanserint, publico Edicto per mensem antea promulgato plus offerenti vendantur. Quòd si prętium receptum summam, quæ debetur, excesserit, quidquid supererit, Domino pignoris omni fidelitate reddatur.

7 Bona, quæ restituta pecunia redimuntur, de nouo subijci, & pignori dari prohibemus. Sed si Depositarius ausus fuerit bona pignori à debitoribus data in alia absque Nostra licentia commutare, excommunicationem incurrat, nec absoluatur, nisi priùs Montis indemnitati prospexerit.

8 In Præfectum, seu Depositarium assumatur, qui sit bonæ existimationis, & famæ, ac trigesimum suæ ætatis annum attigerit. Sed suscipere administrationem abstineat, nisi idoneam fideiussionem præstiterit de bene, & fideliter administrando, & de ratione reddenda non solum pecuniarum, & rerum, quę ad Montem huiusmodi spectant, verùm etiam quorumcunque bonorum, quæ sunt deposita, & erunt in posterum durante suo officio deponenda. Quòd si Depositarius, qui pręcessit, non adimpletis conditioni-

bus supradictis adminstrationem successori dimiserit, tam ille, quam fideiussor ad omnia damna in solidum teneantur.

9 Depositarius in libro pecunias, & bona describat, quæ penes ipsum deponuntur, adiecto nomine, & cognomine, & patria deponentis. Sed si depositum restitui decreto Iudicis, aut alia ratione contigerit, totum adnotet, & tempus restitutionis adijciat. Codex autem huiusmodi cùm totus redactus fuerit in scripturam in archiuio conseruetur, nec alicui sine Nostra licentia sub excommunicationis pœna tradatur.

10 Administratores, seu Deputati, qui Montibus frumentarijs præsunt, quàm fidelissimos se præbeant. Frumentum, quod pauperibus dispensandum ex annuis pijs redditibus comparatur, prouideant opportunè, & venditoribus meliorem conditionem offerentibus acquiescant: illud idem, quod emerunt, impertiant, nec primitias subtrahant viliore tritico substituto: mensuram dolosam abijciant, & seruata iustitiæ æquitate procedant. Qui si secus fecerint, aut fraudem quocunque modo in administratione commiserint, statim excommunicationem incurrant, Nobis extra mortis articulum reseruatam. Eodem excommunicationis gladio feriantur, qui sortem principalem montium quorumcunque aut alterius loci pij quomodolibet latè sumpto vocabulo nuncupati pręsumpserint alienare, minuere, detrahere, & vsurpare; nec absoluantur, nisi adimpleuerint adimplenda.

11 Si aliquis Mons pietatis peculiares aliquas, approbatasque constitutiones habuerit, eas inuiolabiliter obseruari volumus, quatenus tamen huic Nostræ Synodo non aduersentur.

De

De Hospitali.

Titulus. VI.

1 HOspitalitatis iura quę sunt hominibus naturaliter indita, nefas est violare: nam qui non excipit hospitem, tantæ rusticitatis, aut inhumanitatis est reus, vt Christum videatur excludere, & eidem, quem pauperes repræsentant, diuersorium denegare. Pateant igitur Hospitia Peregrinis, qui si recipiantur humaniter pro mercede retribuunt, quidquid ipsi pro suscepto labore lucrantur: nam teste Chrysostomo, peregrinatio pauperis, & eiusdem ex longis itineribus fatigati gratiosa susceptio præmium sortiuntur ęquale.

2 Qui in publicum quæstum ab incerta mendicitate vocantur se ad Hospitale recipiant, & desinant, nulla retenta certa sede, vagari, vt Proprium Parochum habeant, à quo Ecclesiastica sacramenta desumant: cùm hoc salutare refugium fuerit à fidelibus institutum non solum ad reficiendam Corporum imbecillitatem, verum etiam ad animæ salubriter consulendum

3 Sed quia nonnulli simulata infirmitate, aut falso prætextu fictæ paupertatis ad Hospitale se conferunt; ideo eorum exploretur non modo corporum, sed etiam morum integritas. Qui si comperti fuerint inopiam, seu infirmam valetudinem dolosè affectare, moneantur, & statim abire cogantur.

4 Qui in itineribus, & peregrinationibus ad inopiam, con-

consumptis pecunijs, rediguntur, nè cogantur ostiatim cum proprij status, ac dignitatis dedecore mendicare, recipiantur humaniter, & oblatis refectionibus, officiosè tractentur. Volumus insuper, exhiberi cubilia prouisa de linteis, stragulis, ceruicalibus, puluinis, & culcitris: vt qui aliquo morbo correpti conuenerint, capta quiete conualescant, & recuperatis viribus iter, quod aggressi fuerint, prosequantur.

5 Hospitalarius eligatur, qui prouidentia perspicaci pauperum postulationibus patienter annuat, & victum non habentibus subministret. Sciat alienæ inopiæ misereri, & sincera charitate succurrere; singulis sine acceptione personæ gratam hospitalitatem exhibeat, & miserabilim lamentationes exaudiat: imò, cùm debeat iustitiæ, & integritatis exempla præbere, auaritiam fugiat, atque à muneribus, quæ iustorum corda subuertunt, manus suas excutiat.

6 Nefas est redditus, & prouentus, qui pauperibus conceduntur pro alijs vsibus erogare. Itaque administratores, qui Hospitalis bona consumpserint, grauiter punientur.

7 Mulieres in Hospitali non permittantur vna cum Viris in ijsdem cubiculis commorari, & multo minus simul in ijsdem lectis cubare, quamuis coniuges esse se dixerint, nè sub ficto colore coniugij captent fornicandi occasionem. Idem duximus esse seruandum in Pueris, qui cum maioribus natu in ijsdem cubilibus non concumbant. Quòd si secus factum fuerit, Hospitalarius, qui Nostras constitutiones permiserit violari, pœna carceris puniatur.

8 Qui corporis infirmitate laborant, recipiantur, nec dimittantur, nisi fuerint bonæ valetudini restituti. Et, nè in bonis, quæ deferunt, detrimentum aliquod

pa-

patiantur, Hoſpitalarius deſcriptione præmiſſa, cuſtodire ſarcinulas, & eaſdem integras Dominis reſtituere teneatur.

9 Pauperes, quibus ægrotantibus hoſpitalitas exhibetur, ita de recuperanda corporis valetudine ſint ſoliciti, vt ſtudeant etiam animæ incolumitati proſpicere. Et ideo infra triduum, præmiſſo pœnitentiæ Sacramento, morbum delictorum expurgent. Parochus ſępius adeat ægrotantes; & quos ſalutaribus monitis inſtruit, eoſdem Eccleſiaſticis Sacramentis, Pœnitentia ſcilicet, Euchariſtia, & Extrema vnctione, pro temporis opportunitate, infirmorumque neceſſitate, reficiat.

10 Expoſiti, qui in Hoſpitali, aut alibi relinquuntur, omni ſolicitudine, & charitate tranſmittantur, ac tradantur nutricibus educandi. Qui igitur opus huiuſmodi exercere conſueuerunt, non intermittere, ſed alacriter etiam in futurum proſequi debebunt: ijs enim vbera pietatis admouebunt, qui quamuis ex damnata mixtione prodierint, innocentiam tamen retinent, nec propter incontinentiam Genitorum puritatis candore priuantur.

De Quæſtoribus Eleemoſynarum.

Titulus. VII.

